







DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**AUCTORITATE**  
**SCRIPTURÆ**  
**SACRÆ**

QVAM  
DIVINA ANNUENTE GRATIA  
PRÆSIDE

**DN. FRID. ULRICO CALIXTO**

S.S. Theologiæ Doctore, ejusdemq; Professore Publ. &  
Ordin. Celeberrimo, Facultatis suæ totiusq; Academiae  
Seniore nec non Consiliario Ecclesiastico  
Guelphico

**Domino Præceptore ac Patrono suo**

omni pietatis & observantiæ cultu æternum

devenerando

in illustri Academia Julia

publice disputandam proponit

**Gottfried Maschov Ascaniensis.**

Auctor & Respondens

in Juléo Magno Die Octobris.

---

HELMESTADI SAXONUM,  
Excudit HENRICVS HESSIUS M DC LXXXII.



DISERTATIO  
DE  
ALBERTO  
SCRIPTA  
SACRA  
OVM  
DIVINA AMPLIANTER  
PAR  
DNI ERID. LIKISO  
EST THEOLOGICAE DOCTRINAE  
ORDINIS CELEBRATIONIS  
SACRIS nec non  
Glossa  
DNI ERID. LIKISO  
Glossa  
in libro  
Glossa  
in libro  
Glossa  
Glossa  
Glossa





# Q. B. V. D.

## Thef. I.

**P**rimâ mundi ætate Deus se suamq; voluntatem protoplastis & subsequitis Patriarchis per alloquia manifestavit. Ethoc est quod auctor Epistolæ ad Hebræos Cap. I dicit: *Multis vicibus multisq; modis Deus loquutus est patribus nostris in Prophetis.* Per hæc igitur alloquia, tunc frequentiora, Divina revelatio à majoribus ad posteros vivâ voce est propagata. Quod ita longævis Patriarchis, ut eorum ætas multa complecteretur secula, fieri satis commodè potuit. A quibusvis igitur, posterorumq; posteris adiri & audiri poterant. Posteaquam verò alloquia infrequentiora esse cœperunt, tandemq; cessarunt, homines ut ætate minuti, ita numero in immensum aucti simul mulq; dispersi sunt, imbecillitati memoriæ scripturâ consulendum fuit. Hanc ad rem omnium primus delectus fuit Moses, cujus quinque libris successerunt Prophetarum scripta & Hagiographa. Exhibito Messia, *ultimis hæc diebus loquutus nobis est in filio.* Hujus res gestæ, & reliqua ad hominum salutem facientia, per Evangelistas & Apostolos, initio sunt prædicata, deinde in Scripturam & literas redacta.

II. De hujus Scripturæ, quæ V. & N. Testamenti libris absolvitur, Auctoritate, disquisitionem, Deo benignè adspirante, pro ingenii modulo, suscipere constituimus. Ex abrupto autem ad hanc ipsam Auctoritatem declarandam, quum accedere non conveniat, tria prius expedienda & demonstranda erunt. Primum est, existare aliquod verbum & aliquam revelationem divinam, è qua sola hauriatur salutaris de Deo, ejusq; cultu, & reliqua homini ad salutem cognita necessaria doctrina. Lumen naturæ quidem nobis dicit, Deum esse, nec plures esse quàm unum Deum, eumq; non corporeæ naturæ, sed incorporeæ, imo infinitæ, & quantæ essentiæ, tantæ quoq; potentiæ, sapientiæ & bonitatis. Porro quem rationis lumen suggessit Deum, eidem cultum religiosum deberi docet. Animam quoq; hominis esse materiæ expertem, atq; a deò immortalem, cui post discessum à corpore vel benè sit futurum, vel male. Ne malè habeat, opus esse, dum in corpore agat, Dei agnitione & cultu: nec fieri aliter posse, quàm, quæ anima Dei nullam rationem habuerit, ejus quoq; Deus nullam sit habiturus, imo in eam sui



neglectum & contemptum serio vindicaturus. Dei autem cultum consistere potissimum in studio sapientiae, justitiae & virtutis, quibus ut Deus maximè pollet, ita quoque unice delectari, & deditos talium studio ad similitudinem quandam Dei se componere, & ad consequendam benevolentiam gradum struere.

III. Hæc juxta merum & solum naturæ dictamen Religio, (quæ si forte non sit, tamen esse posset,) quamvis nec falsa sit nec fabulosa, nec pari cum Mythica & Civili loco censerit possit aut debeat, nimis tamen est insufficiens, & *nulla hodie in Orbe terrarum reperiatur, quæ peculiaris modi revelatione seclusa ductum rationis tantum sequatur, eiq; soli citra additionem alieni acquiescat*, sicut D. Georgius Calixtus, Theologus de universa Christiana Ecclesia, maximè autem hac nostra Julia meritissimus disp. de Veritate unicæ religionis Christianæ §. 3. affirmat & addit, *penes nullum unquam hominem ita nudam & abstractam*, i. e. quæ à peculiaris modi revelatione abstrahat, & in sola generali acquiescat, *reperiri potuisse*, sed omnes gentes adhæsisse revelationibus vel veris & divinis, vel falsis & diabolicis. Has obtrusum inveniunt gentium sacerdotes & Sibyllæ, Satanæ oracula pro divinis venditantes. Alii fictitias commenti sunt revelationes, vel in ecstasi, vel per enthusiasmos, raptus & per somnium sibi patefactas. Etenim quicumq; adversus Dei legem & ordinationem, in humanæ societatis perniciem, vel fictitios Dei cultus invehunt, vel seditionem & rebellionem moliuntur, detestandas machinationes ementitis revelationibus divinis, omni alio præsidio destituti, fulcire conantur. Exempla bene multa recentior historia suggerit.

IV. Nempe majorum nostrorum memoria, gregis indomitæ seditionisq; plebis agrestis, adversus magistratum & Principes insurgentis, dux & incensor *Thomas Muncerus*, quum rebellionem ejusq; prosperum successum è Scriptura deducere & persuadere non posset, repudiata seu potius de gradu suo deturbata Scripturâ, privatas revelationes substituit. *Docbat*, ait Sleidanus sub libri V initium, *patefacere Deum per somnia voluntatem suam, in iisq; propositi sui fundamentum locabat*. Dicebat iis, quos coire & signa adversus Magistratum tollere armaq; capere impulerat; *Constat vobis actionem hanc auspiciatum esse me, non mea quadam auctoritate privata, sed jussu divino.* V. Idem



V. Idem præterea nos docet exemplum alterius Thomæ cognomento Schuefer/ Anabaptistæ è S. Galli Helvetiæ oppido oriundi, fratrem suum Leonhardum in præsentia Patris decollantis, *ex voluntate Dei*, ut ipse aiebat, sibi videlicet per peculiarem inspirationem aut revelationem patefacta. Hoc scilicet specioso prætextu, quum non su peteret alius, parricidii crimen erat justificandum. Taceo Libertinorum sectam, è Belgio per Coppinum Insulanum Flandrum, & Quintinum sartorem in vicinam Galliam traductam, quæ fanaticis dogmatibus fictitias substravit revelationes. Taceo etiam Anabaptistas, qui in multas nunc disiecti sunt minutias. His circa necessaria reformationis tempora frequens erat ἐνθουσιασμός, raptus & immissa somnia prætexere, ut quæ nova docebant, vel seditiosa moliebantur, ad istum modum, quum è Scriptura non possent, persvaderent. Atq; istum in modum à Satana suggestis & Deo afflictis revelationibus fuit ludendum, ut successu feliciori malum operari, exitium societati humanæ struere, cum in Ecclesia tum Republica turbas dare liceret.

VI. Quicquid vero hujus sit, Divinæ revelationis, non quidem generalis istius, quæ gentibus & Christianis est communis, sed quæ esset peculiaris modi, *necessitatem*, qua nimirum legitima Deum colendi ratio manifestaretur, agnoverunt omnes omnino gentes. Hoc ipsum autem, in quod unanimiter omnes consentiunt gentes, *juris*, sive sicut Cicero I. Tuscul. loquitur, *legis naturæ* quum sit, revelationem usq; adeo necessariam esse oportet, ut *juris sive legis sit naturæ*. Hugo Grotius præclari de jure Pacis & belli operis Lib. I, Cap. I, §. 12. *Esse aliquid juris naturalis probari, dicit, tum ab eo quod prius est, tum ab eo quod posterius. Apriori si ostendatur rei alicujus convenientia aut disconvenientia necessaria cum natura rationali ac sociali; i. e. si quid rectæ rationi conveniens vel inconveniens esse ostendatur. Est enim universale principium; illud, quod recta ratio docet & dicit, infallibiliter esse verum. A posteriori vero, pergit Grotius, si non certissima fide, certè probabiliter admodum, juris naturalis esse colligitur id, quod apud omnes gentes aut moratiotes tale esse creditur.* Atqui revelationis necessitas creditur & agnoscitur non tantum apud omnes gentes moratiotes, sed ab ima insuper gentium fœce, ab hominibus, apud quos nulla fides, nulla pietas, nulla morum honestatis



statis ratio. Ergo revelationis necessitas probabiliter admodum juris naturalis esse colligitur.

VII. Moratorum Philosophorum gentilium suffragia passim extant, è quibus unum atque alterum adduxisse ad instituti rationem sufficere poterit. Cicero de divin: 87. 6. *Oracula instinctu divino afflatuque fundi* dicit atque tantam eorum agnitam fuisse necessitatem ibidem addit, ut *Græcia nullam coloniam miserit, sine Pythio aut Dodonæo, aut Ammonis oraculo*, i. e. sine revelationibus, quas divinas esse credebant. Divinus Plato in Epinoma: *Majorem, ait pietate & religione ullam, in humano genere virtutem reperiri nemo sibi persuadeat. Sed non docuerit eam quisquam, nisi Deus Dux & author fuerit, nisi per revelationem Deus ipsi manifesta-* verit.

IX. Præterea quamvis ex lumine naturæ quædam de Deo, Dei- que cultu ut & natura animæ humanæ cognosci possunt, pauca tamen illa sunt & tenuia: quorum licet non omnia, pleraque tamen sunt incerta. Hinc enim Ælius Adrianus Romanorum Imperator jam moribundus ita animam suam affatus scribitur: *Animula vagula blandula hospes comesq; corporis, quo nunc abibis in loca, pallidula, rigida, nudula, nec ut soles dabis jocos.* Ipse etiam sapientissimus Ethnicorum Socrates de futuro animæ statu post discessum ex corpore admodum incertus, jam cicutam bibiturus amicos ita apud Platonem in Phædone alloquitur: *Tempus est jam hinc abire me, ut moriar vos, ut vitam agatis, utrum autem sit melius dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem.*

IX. Accedit, quod homo præcipuè ob animam rationalem sit nobilissima in sublunari hoc orbe Dei creatura, cui nobilem quoque finem præstitutum esse oportet, convenientem animæ spirituali & immortalis. Quum autem haud facile quisquam animæ, quam post hanc vitam iuperstitem novit, salutis ita possit esse negligens, quin desiderio ultimum sibi constitutum finem cognoscendi tangatur, admodum vero pauca eaque valde incerta sint, quæ ex lumine rationis de his sciri possunt, necessum est peculiarem aliquam agnoscere revelationem, qua plenius ac certius de iis edoceamur. Præclara sunt verba Thomæ Aquinatis Scholasticorum facile Principis, quibus idem, quod



quod nos hæcenus diximus, ostendere fatagit summa contra gentes  
lib. 1. c. 4: *Sequerentur tria incommoda, si hujusmodi veritas so-  
lummodo rationi inquirenda relinqueretur; Unum est quod paucis  
hominibus Dei cognitio inesset. Secundum, quod illi, qui ad præ-  
dictæ veritatis cognitionem pervenirent, vix post longum tempus  
pertingerent. Tertium, quod investigationi rationis humanae  
plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus no-  
stri in judicando & phantasmatum permixtionem. Et ideo apud  
multos in dubitatione remanent ea, quæ sunt verissimè etiam  
demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, & præcipuè  
cum videant à diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri.  
Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquan-  
do aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili  
vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio repu-  
tatur. Et ideo oportuit per viam fidei fixa certitudine ipsam ve-  
ritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo  
divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare po-  
test, fide tenenda præciperet; ut sic omnes de facili possent divi-  
nae cognitionis participes esse & absque dubitatione & errore.  
Cum itaque eorum, quæ cultum divinum, atque animarum salutem  
attinent, naturalem autem intelligendi aut indagandi facultatem trans-  
grediuntur, aliqua in homine requiratur notitia, atque illam haud ali-  
unde, quàm è divina revelatione accersere liceat, manifesta quoque  
fit ab omnibus gentibus agnita peculiaris revelationis necessitas, è  
qua sola verus Dei cultus, nec non vera de salute hominum doctrina  
hauriri & possit & debeat.*

X. Alterum est, quod verbum illud & revelatio divina sit nulla  
alia, quam quæ libris Vet. & Novi Testamenti Canonicis continetur.  
Id vero apparebit, si quis revelationes, quas aliæ religiones jactitant,  
cum ea, quæ Christianis est propria, conferat. Etenim sicut ex hac ni-  
hil, quod Deo indignum, quod indecorum sit, contradictionem impli-  
cet aut absurdi aliquid involvat, extorqueri potest, ita illæ falsa & ab-  
surda plurima de Diis fingunt, ut Augustinus cum de Mythica tum de  
Politica Ethnicorum Theologia scribit lib. 6. de Civit. Dei c. 5 & 6:  
illa



illa de Diis turpia fingendo seminat, hæc favendo metit; illa mendacia spargit, hæc colligit, illa res divinas falsis criminibus infestatur, hæc eorum criminum ludos in rebus divinis amplectitur. Et vero cum infinita absurda & ipsi rectæ rationi contraria, quæ de Deorum & ipsius summi Jovis origine tradunt, tum turpia quoque, quæ de Diis docent, falsitatis luculenter eas convincunt. Res adeo est manifesta, ut ipse Plinius quamvis Ethnicus agnoverit & ex re & vero scripserit: *Matrimonia quidem inter Deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci, & alios esse grandævos semperque canos, alios juvenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes morientesque, puerilium prope deliramentum est. Sed super omnem impudentiam adulteria inter ipsos fingi, mox jurgia & odia atque etiam furtoꝝ esse & scelerum numina.*

XI. Quam turpia de gentiliū Deorum naturā rebusque gestis, falsarum religionum prodiderint revelationes & oracula, è dictis constat. Sed nec saniora revelationibus istis nixas gentes de Deorum suorum cultu docuisse, ab omni honesto & decoro quā longissime remota pudenda flagitia, in quibus cultum Numinis collocarunt, docent & testantur. Talia sunt scortationes, adulteria, homicidia atque id genus alia. De illis testatur Strabo l. 8. *Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, ut plures, quā mille habuerit sacrorum ministras meretrices, quas Dea viri mulieresque dicaverant. Item de Babyloniis addit: omnibus Babyloniōrum mulieribus mos est ex quodam oraculo, apud quoddam Veneris fanum cum hospite corpus miscere. Cum comitatu & cultu plurimo ad illud veniunt: quilibet funiculo coronatur. Qui vero ad eam admittitur, posito super ejus genibus argento, quantum convesire videtur, cum ea longe à fano abducta rem habet.* Videatur ὁ πᾶνυ Georgius Calixtus part. 1. Epit. Theol. Moralis de legibus p. m. 49. seqq.

XII. Quod etiam homicidiis Deos coluerint, satis nos docent consuetæ illis ἀνθρώπων θυσιῶν sive immolationes hominum, quas apud plurimas gentes in usu & olim fuisse & adhuc hodie apud barbaras præfertim



fertim in India Orientali esse constat, adeo ut hunc morem etiam Isra-  
elita quondam imitarentur liberos suos Molecho per ignem sacrifican-  
tes, uti videre licet 2. Reg. xvi, 2. xxi, 6. xxiii, 10. Hinc merito de tali-  
bus Lactantius, lib. 1. instit. divin. c. 2.1. exclamat: *Tam barbaros,*  
*tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, id est tetrum*  
*atque execrabile humano generi facinus sacrificium vocarent,*  
*quum teneras atque innocentes animas, quae maximè est at as pa-*  
*rentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, imma-*  
*nitatemque omnium bestiarum, quae tamen fetus suos amant, fe-*  
*ritate superarent. O dementiam insanabilem!*

XIII. Cum barbaris istis & immanibus hominibus si contem-  
dantur Christiani, quot & quanta in illis regnant vitia, tot & tantas in  
his habitare virtutes, fiet manifestum. Res adeo est certa, ut ipsi eti-  
am Gentiles in primorum seculorum Christianis, quod horum religi-  
onis tanta vis esset, ut homines adeo eximios produceret, admirati sint.  
Paulo ante citatus Lactantius lib. 3. c. 26. *Dei, inquit, praecepta quan-*  
*tum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demon-*  
*strant. Da mihi virum, qui sit iracundus, malodicus, effrenatus:*  
*paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da*  
*cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pe-*  
*cuniam suam propriis manibus largientem. Da timidum doloris*  
*ac mortis: jam cruces & ignes & pericula & taurum contemnet.*  
*Da libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum,*  
*continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem:*  
*jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, in-*  
*sipientem, peccatorem, continuo & equus & prudens & innocens*  
*erit. Tanta divina sapientia vis est, ut in hominibus peccus in-*  
*fusa matrem delictorum stultitiam uno simul impetu expellat.*

XIV. Antiquitas vera est veræ Religionis nota: & quum illa sit  
propter hominem ejusque salutem, eo non posteriorem, sed cum ipso  
natam esse oportet. Idem de Religionis fundamento, sine quo illa  
extare non potest, divina nempe revelatione dicendum & sentiendum;  
Nempe natam esse cum ipso homine revelationem, ita ut ne momento

B

quis



quidem eâ caruerit. In ipsa igitur creatione Deus sui notitiam primo omnium parenti inspiravit. Deum enim, atq; omnia quæ ad ejus cultum, propriamq; pertinerent salutem, exactè cognovit. Unde verò notitia tanta, si non è peculiaris modi, donis supernaturalibus illustrantis intellectum, revelatione? Porrò quum bonum infinitè perfectum, perfectè cognitum non possit non adamari, voluntas hominis Deum, ad cujus imaginem conditus erat, perfecto amore supra omnia dilexit. Superiorum facultatum omnibus numeris absolutam perfectionem, comitata est & excepit, hanc adæquans appetitus sensitivi membrorumq; eò deservientium perfectio tanta, ut in sua nuditate nihil pudendum animadverterit. Omnes autem istæ eum superiorum facultatum, tum inferioris perfectiones è divina in hominis creatione inspirata pro revelatione. Addidit præterea revelationem manarunt legis positivæ de abstinendo à fructu arboris scientiæ boni & mali. Quam ubi violavit, periit revelationis lux, & ab hac donisq; supernaturalibus pendentes perfectiones. Intellectum caligo occupavit, voluntatem à Deo averso, ut nunc formidaret eum, & fugeret à facie ejus, quem prius super omnia dilexerat. Appetitus, soluto freno concupiscentiæ, insolenter sese gerere & rebellare cœpit.

XV. Discimus primi omnium nostrorum parentis, imaginè Dei, ad quam conditus erat, & donis supernaturalibus peculiaris modi revelatione intellectum illuminantibus, nudati exemplo, quæ sit hominis conditio Divina speciali revelatione destituti. Res ejus adeò erant desperatæ, ut de gratiâ ne cogitare quidem, nedum reconciliationis modum invenire potuerit. In desperatione igitur pereundum ei fuisset, nisi apparuisset misericors Deus, & decretum de redimendo genere humano, atq; redemptionis modum revelasset. Facta est revelatio ista Genes. III. 15, ubi promulgatur promissio de semine mulieris contrituro caput serpentis, verbis, à Mose ibi quidem expressis & in scripturam redactis, oppidò paucis & redemptionis mysterium minus distinctè & perspicuè revelantibus. Hujus igitur revelationis obscuritatem & insufficientiam objicientibus respondemus verbis meritissimi Academiæ hujus Professoris Primarii, B. Dn. D. Georgii Calixti, quæ leguntur in Tractatu de Pactis Num. XXXIIX, his omninò verbis: „Nolim negare, mysterium redemptionis nostræ pluribus & forte manifestioribus verbis tunc expositum fuisse. Hæc vero sola Scripturæ cre-

dita.



„dita sunt, nec alibi allegantur, quod succedentibus temporibus, de se-  
„mine mulieris sive Filio Virginis & Dei contrituro caput serpentis, &  
„opera Diaboli destructuro, clariora, quorum commodior usus, pro-  
„mulgarentur & scriberentur.

XVI. Subsequentæ interim clariores & manifestiores de Messia mun-  
di Redemptore revelationes nullum antiquitati creant præjudicium, si-  
quidem priorem respiciunt, atq; sunt instar Protoëvangeliæ declara-  
tionum & illustrationum. Quin & reliquæ cum cultum divinum & sa-  
crificia, (quæ typi & figuræ erant sacrificii in ara crucis immolandi) tum  
politiam populi Israëlitiæ concernentes Divinæ revelationes ipsis  
& Gentilium Diis, & profectis ab his oraculis, sunt antiquiores. Pla-  
nè egregia sunt, quæ in hanc sententiam legimus apud Eusebium in ejus  
Chronici Prooemio. *Hebraeorum, inquit, progenitorem Israël, à quo Judaica  
Gentis duodecim tribus Israël nomine censentur, Inacho, quem primum Argis  
regnasse Græci prodiderunt, tempore aequalem fuisse reperi: Semiramidis vero  
temporibus Abraham vixisse hominem quidem natione Chaldaum. — Mosen  
autem, ut verum fatear, infra horum tempora extitisse, antiquiorem tamen  
omnibus prisca Græcorum memoria, Homero, inquam, Hesiodo, ipsisq;  
Trojanis temporibus, Castoribus, Æsculapio, Libero Patre, omnibus Heroibus,  
Mercurio & Apolline reliquisq; Græcorum Diis, mysteriis & initiis, atq;  
adeo ipsius Jovis gestis, quæ à Græcis memorantur, quorum omnium  
historiam infra ætatem Cecropis fuisse Græci tradiderunt.*

XVII. Tertio nec illud ignorandum, quid Authoritatis nomine veniat,  
quodve sit fundamentum, cui illa innitatur. Est vero, prout quidem à nobis  
nunc authoritas capitur & consideratur, quadam natura intelligentis  
perfectio alios & quidem eos, quibus perspecta est, inducens vel ad  
assentiendum ejus assertionibus, vel ad obsequendum ejus mandatis,  
docente B. D. Titio in Colleg. dogmat. de Scriptura S. c. 3. §. 1. Authoritas  
autem illa primariò convenit naturæ alicui intelligenti, qualis Deus,  
Angelus & homo, quatenus videlicet alicujus assertionis vel mandati  
Authores sunt.



XIIX. Deinde competit etiam Authoritas alicui, quod ab intelligenti natura proficiscitur, sive scripto sive mandato, quamvis non primario secundario tamen. Quia nempe perfectio auctoritatem concilians, ipsi illi rationali naturæ primario & per se competit, etiam à perfectione ista pendens auctoritas ei inest primario: & quia Scripturæ aut præcepto à natura rationali profecto sui Authoris perfectio nec primario nec per se competit etiã à perfectione illa pendens auctoritas competere ei nõ potest primario sed secundario tantum. Perfectio autem illa consistit partim in accurata rerum scientiã cum morum probitate conjuncta, partim in potestate, & jure, quo quis in alios gaudet, jã quo quis majore scientia vel potestate & jure pollet, eò majoris quoque est auctoritatum ipse, tum quæ ab ipso proficiscuntur, lex vel testimoniũ.

XIX. His positis inquirendum est: An aliqua & quanta sit Scripturæ S. Authoritas? Ubi statim cum Alphonso Tostato, viro *sanctitate & doctrina*, judice Bellarmino libro de scriptoribus Ecclesiasticis, *celeberrimo*, ponimus hanc thesin: *Magna imò maxima omnium auctoritatum, qua sub caelo esse potest, est auctoritas S. Scripturæ, ex quaest. v. præfat. in Matthæum; & in caput 4. Matthæi quaest. XXIIX: nulla est major auctoritas sub Deo quàm Scriptura Sacra.*

XX. Talem vero ac tantam Scripturæ competere auctoritatem probamus primo inde, quod ipsa, quanta quanta est, à Deo est & divinitus inspirata, imo *in iis* quoque, quorum peculiari revelatione non opus erat, *qua nimirum aliunde sive per experientiam, sive per lumen naturæ nota, consignandis divina adstantia & Spiritu ita Scriptores sunt gubernati, ne quicquam scriberent, quod non esset ex re, vero, decoro, congruo*; docente iterum B. Dni. D. Georgio Calixto § 72. parte 1 Responsi maledicis Theologorum Moguntinorum vindiciis oppositi & editi Helmstadii ch. lxxv. Adeoque nihil in Scriptura extat, quod non ad Deum Authorem sit referendum, licet non omnia *eodem modo* eum Authorem agnoscant. Mystera enim, & articuli, quæ meræ & puræ sunt fidei, ita se habent, ut citra specialem Dei revelationem innotescere nobis non possint, ac talia Deus revelavit. Reliqua vero, quæ ad historiam & mores faciunt, vel quæ visu & auditu scriptoribus nota erant, Deus illis suggessit, quænam & quomodo scribere deberent, ne quicquam scriberent à vero alienum. Latius nimirum patet inspiratio, moderatio & directio divina



vina quàm revelatio, quæ propriè non est, nisi rerum inevidentium humanæ rationi & sensibus impervestigabilium.

XXI. Qui igitur B. Dn. D. Calixtum propter ea, quæ supra è Responso Moguntinis opposito citavimus, ab Augustanæ Confessionis sociorum consortio *rejecerunt*, eadem opera *rejecerunt* B. Dn. D. Johannem Hülsemannum, quippe qui his paria docuit disput. de V. & N. Testamenti natura, ipso Præside, & Respondente M. Enoch Hanmanno habita, ubi sect. 9. § ult, hæc leguntur verba: *Salutationes & res privatas quod concernit, quas Apostoli subnectunt, non est existimandum Spiritus S. deliquium passos esse. Et si enim hæc non pertineant necessario ad libros divinos, placuit tamen Spiritui S. ista adjici Codici sacro, sed gubernavit tamen eorum mentes, ne indecorum aliquid, & majestati sacra contrarium addevent; Non abs re etiam h. l. queritur, an θεοπνευστοι in his conscribendis, quæ oculis viderunt & auribus perceperunt, novo opus habuerint afflatu Spiritus S.?* Ad quæ responsio in promptu: *non quidem opus fuisse nova propositione & representatione (revelatione) sed tamen confirmatione & in scribendo gubernatione, ne aliquid adjiceretur, quod detraheret sanctis literis debitam sanctitatem.* Rejecerint igitur cum Calixto non Hülsemannum tantum sed & cum hoc facientem D. Danhauerum à Maximè Reverendo Dno Præside in Demonstratione Liquidissima allegatum.

XXII. Cum itaque nihil in Scriptura legatur, quod non à Spiritu S. sit vel revelatum vel inspiratum, & quasi calamum scribentium dirigente consignatum, *neque enim libitu hominis allata est aliquando prophetia, sed acti à Spiritu S. locuti sunt sancti Dei homines.* II. Petri I. v. ult. necessum est, eandem quoque authoritatem suam à Deo habere. Dei vero authoritatem summam esse constat ex summa ipsius perfectione. Quæ itaque lex aut doctrina, aut scriptura à Deo profecta fuerit, hujus authoritatem itidem maximam & tantam, quanta Dei est perfectio, esse oportet, par etiam ei, quam olim habuit prædicatio Prophetica & Apostolica. Etenim sicuti Divina oracula & reliquam doctrinam fidei vivâ voce suis Auditoribus prædicarunt, ita eandem in Scripturam redactam Ecclesiæ reliquerunt, qua nos ad salutem eruit,



dirent, ut norma & regula nostræ fidei esset. Vid. B. Hornejus disp: r.  
de Authoritate Scripturæ.

XXIII. Ex quibus constat, Scripturam esse à Deo inspiratam, ipsamque esse illud verbum, quod à Prophetis & Apostolis fuit prædicatum, unde porro sequitur nullum hodie extare scriptum, quod quidem parem cum ea, nedum majorem quàm ipsa, habeat authoritatem. Etenim non extant in universa rerum natura, vel lex aliqua vel doctrina, de cujus infallibitate æque certi esse possimus, ac de hujus, cum Author ipsius primarius sit ipse Deus, secundarii vero sive conditores Prophetæ & Apostoli nihil aliud scripserint, nisi quod Deus scribi voluit vel permisit. Hinc pulchrè S. Augustinus pro ea, qua pollet judicii dexteritate epist. xix: *Ego solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Authorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non affecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

XXIV. Audiamus etiam Authores Formulæ Concordiæ, qui hanc Scripturæ dignitatem tribuunt, ut aiant, sese *Sacras literas solas unicam & certissimam illam regulam credere, ad quam omnia dogmata exigere, & secundum quam de omnibus tum doctrinis, tum Doctoribus judicare oporteat.* Quibus planè conformia docet formulæ hujus strenuus defensor B. Hutterus, quando de Augustana Confessione aliisque Ecclesiarum particularium scriptis judicat, *quod non nisi sub conditione fidem & assensum mereantur: nempe quatenus cum Scripturis Sacris conveniunt.*

XXV. Idem porrò fatentur Veteris Ecclesiæ Doctores. Irenæus l. ii. cap. 47: *Credero hac talia debemus Deo, qui & nos fecit rectissimè scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu*



& Spiritu ejus dicta. Cui ex sec: III. consentit Latinorum antiquissimus lib. adversus Hermogenem c. 22, *Adoro, inquit, Scriptura plenitudinem, qua mihi & factorem manifestat, & facta, in Evangelio vero amplius & ministrum atque arbitrum rectoris invenio sermonem.* S. Chrysostomus, qui seculo IV Constantinopoli Episcopatum gessit, tantum Scripturae tribuit, ut eam homil: 13. in 2. Timoth. in fin. vocet *exquisitam omnium rerum trutinam ac regulam.* Agmen claudat, qui antea praecesserat ex sec. V Episcopus, qui lib. XI. de C. D. c. 3. profitetur: *filium Dei per prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse judicavit, loquutum etiam Scripturam condidisse, quae Canonica nominatur, eminentissima auctoritatis, cui fidem habeamus de his rebus, quas ignorare non expedit.*

XXVI. Et ex his apparet, quantum a veritate aberrent Weigeliani nec non Libertini, quorum illi Scriptoribus SS. etiam errores tribuere non verentur praecunte verba Weigelio in tractatu, quem inscripsit *Büldengriff* Non sufficit, inquit, dicere, homo ejusmodi fuit, Spiritum S. habuit, errare non potuit; ostendo prius, quae id verum esse, quod probare & ostendere difficile admodum tibi erit. *Quid est Cephas, quid Apollos? quis Paulus? quis hic aut ille? homines sunt.* Majorem his & impudentiam & impietatem committunt Libertini, de quibus Joan Calvinus in instructione adversus eosdem c. 9: hunc in modum scribit: *Jam diximus istos initio aperte ridere solitos, si quis Scripturas allegaret: nec dissimulasse, quin eas pro fabulis haberent. Interim tamen non desinebant eis uti, si quis esset locus, quem in sensum suum torquere possent, non quod ei adhiberent fidem, sed tantum, ut perturbarent idiotas, atque ita concuterent, ut tandem eos possent facilius ad se adducere. Si quis locus ipsis objiceretur; respondebant, nos litera minime obnoxios esse, sed spiritum, qui vivificat, sequi oportere. Quis etiam Porcus ille Quintinus, quo & Coppino Authoribus Libertini exorti sunt, unumquemque Apostolorum aliquo scommate notaverat, veluti Picardico suo sermone Paulum vocans*

canis



*cans vas fractum; Joannem juvenem stolidulum; Petrum abnegatorem Dei; Matthæum fœneratorem.*

XXVII. His adjungimus Socinianos superiore seculo in Polonia ex damnata Photinianorum hæresi redivivos, qui auctoritatem tum Veteris cum primis, tum N. Testamenti admodum extenuant. Audiamus iterum ipsos acerrimos eorum propugnatores loquentes, Faustum Socinũ & Valentinũ Smaltcium, quorũ hic contra Smigleciũ ait: *Parum curandũ est, quid dicat de cultu Dei Propheta V. Testamenti.* Ille de auctor. Scripturæ c. 4. scribit: *Quod si interdum in reb9 ad fidem spectantibus est, quod V. Testamento quoq; utatur, ea doctrina pars tum nihil aliud, nisi historia censenda est.* Ita illi de V. Testamento, nec de Novo multo meliora idem Socinus lib. cit. *Fieri potuit, ut (Apostoli) nonnunquam hac in parte (in probatione doctrinæ Christi ex V. Testamento adducta) leviter errarint, imò eo progreditur ut non statim vera putanda existimet, quæ ab Apostolis licet disertè scripta sint: hinc alio loco non propterea, inquit, necessario est concludendum, Christi justitiam nobis imputari, etiamsi concedatur, id ab Apostolis disertè dictum fuisse.* Adhuc majorem profani judicii temeritatem, prodit Author quidam incertus subjunctus notis Dan: Brenii in brevi demonstratione V. R. C. p. 101, quamvis enim prius N. Testamenti libros divina & irrefragabilis auctoritatis esse admiserit, nimis tamen abjectè de libris Moïsis sentit, affirmare non veritus, quod *vix prima tantum perfecta virtutis lineamenta in iis contineantur, ita ut apud Ethnicos Philosophos perfectiora de quibusdam virtutibus præcepta extarent, præsertim qua ad contemptum rerum humanarum, temperantiam ac patientiam faciunt, quàm apud Moïsem.*

XXIIX. Nec etiam eam apud Pontificios omnes Scripturæ S. obtinent dignitatem, quam ex voluntate Dei habere debent, utpote qui docent, Scripturæ auctoritatem non esse authenticam sine auctoritate Ecclesiæ, & id quidem propterea, quod Ecclesia multa in Scripturis possit mutare atq; olim mutaverit, uti tradit Eccius enchiridio locorum comm. adversus B. Lutherum c. de Ecclesia, Verba ipsius sunt: *Scriptura non est authentica sine auctoritate Ecclesiæ.* Porro subjungit:

*Scriptu-*



*Scriptura docet, memento, ut diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. — Tamen Ecclesia mutavit sabbatum in Dominicum auctoritate sua, super quo nullam habes Scripturam. Scriptura definit in Concilio: Visum est Spiritui S. & nobis &c. ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine suffocato. Rem tam clare definitam & expressam Ecclesia sua auctoritate mutavit, quia & sanguine & suffocato utitur; Ecce potestas Ecclesie super Scripturas. Magis impia sunt illa Cardinalis Hosii adversus Brent. l. 3. tom. 1. oper. p. 530. pio sensu dici potest, scripturas tantum valere, quantum fabulas Æsopi, si Ecclesia auctoritate destituantur.*

XXIX. Quæ Hosii magis absurda quum sint & blasphema, quam ut refutationem mereantur, missum hunc facimus, & ad primum illum & præcipuum in Germania partium Pontificiarum adversus B. Lutherum propugnatorem regredimur, demonstraturi nullatenus probasse eum, quod probare fuit conatus. Quod enim objicit, Ecclesiam contra scripturam diem sabbati commutasse in diem dominicum, adversus illud tenendum est præceptum hoc Exodi xx propositum, duo includere, primò morale quiddam, nempe cultum Deo certo quodam die exhibendum, quem Ecclesia nunquam mutare potest, adeoque etiam adhuc hodie à nobis religiosè observatur: secundo quiddam ceremoniale, quatenus nimirum septimus præcisè dies ad cultum hunc præstandum fuit determinatus. Ceremonialia autem, quum non fuerint perpetuæ observationis, sed tantum ad tempus certum durare debuerint, etiam sabbati quovis die septimo sanctificatio æternum durare non debuit. Non itaque tam Ecclesie, quam ipsius Dei institutione & ordinatione per adventum Christi in carnem abolita observatione sabbati, in honorificam Dominicæ resurrectionis memoriam, dies, qui Dominicus dicitur, cultui divino atque publicis conventibus est destinatus. Qui judicant Ecclesie auctoritate pro sabbato institutam esse diei dominici observationem, tanquam necessariam, longè errant. Scriptura abrogavit sabbatum, quæ docet omnes ceremonias Moisaicas post revelatum Evangelium omitti posse: verba sunt August.

C

Con-



Confess. Partis II Art. VII de Potestate Ecclesiastica. Et Augustinus lib. IV de Genesi cap. xxxiii. *Jam tempore gratiae revelata, inquit, observatio illa sabbati, qui unius diei vacatione figurabatur, ablata est ab observatione fidelium.*

XXX. Etiam si vero observatio sabbati ablata sit ab observatione fidelium, non tamen eadem operâ sublatus omnis Dei cultus, nec desierunt Christiani ad Deum glorificandum, ejusq; nomen celebrandum statò tempore convenire atque conjunctis veluti viribus eum adorare & invocare, sed *Quia opus erat*, ait August. Confess. loco citato, *constituere certum diem, ut sciret populus, quando convenire deberet, apparet Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent homines exemplum Christianae libertatis, & scirent, nec sabbati nec alterius diei observationem necessariam esse.*

XXXI. Admittere hoc loco videtur hoc ipsum, quod urget Eccius, Aug: Confessio, quando Christianorum conventui *Ecclesiam destinasse diem Dominicum* affirmat. Mutatio vero Sabbati in diem Dominicum, fuerit divinæ constitutioni contraria constitutio Ecclesiastica. Verùm constitutionem istam Ecclesiasticam non esse divinæ constitutioni contrariã, nec S. Scripturæ adversari, sed in eã potius fundari, inde probamus: quod non abrogaverit Ecclesia legem divinam positivam moralem ceremoniam de celebrando Sabbato, sed quum illa exspirasset, (neque enim ejus observatio simpliciter & omni tempore fuit necessaria) publicis conventibus alium diem nempe *Dominicum destinavit Ecclesia*, quod, ne cessaret Deo debitus cultus & publica Divini nominis celebratio, ipsa efflorescens Christianæ religionis, excusso legum Mosaicarum jugo, libertas postulabat. Quod interim præ omnibus aliis diebus Dominicus electus & in locum sabbati surrogatus est, non caret fundamento. Quemadmodum enim ante Messiam exhibitum celebravit Synagoga VII a creatione diem, in memoriam quietis & cessationis ab omni creationis opere, ita par erat, ut Ecclesia eum diem, quo Servator generis humani è mortuo vivus, ac infernis spoliatis triumphans comparuit, in memoriam quietis & cessationis ab omni redemptionis opere, solenni festivitate celebraret. In Scri-  
ptura



ptura igitur, & in Resurrectionis Christi è mortuis mysterio, diei Dō-  
minici celebrationem fundari haud facile quisquam negaverit.

XXXII. Nempè postquam resurrexisset Servator è mortuis, non con-  
veniebat Christianos, quorum redimendorum ergo mortem ille susti-  
nuerat, eopse die, quo pridie mortuus in sepulchro fuerat, plaudere  
Deoque gratias agere in lætitia, sed in posterum potius gloriosæ Re-  
surrectionis diem transferenda fuit illius festivitatis solennitas. Et  
verò facta est translatio & mutatio illa statim in nascentis Ecclesiæ ini-  
tio: unde ordinationis inde ab Apostolorum ætate ad nos derivatæ in-  
star haberi & censei meretur. Hujus ordinationis vestigia quædam  
in Scriptura extare observavit B. Dn. D. Georgius Calixtus sub initium  
Epit. Theologiæ, ubi de Traditionibus disserit, & iis, quæ toto terrarum  
orbe observari ex Augustini Epistolâ 118, refert, addit, *quod pro die  
Sabbati Dominicum colebamus, è traditione esse Apostolica, eo  
quem ibi explicaverit modo accepta, quanquam vestigia quoque  
hujus rei, in Scripturis Actorum VII. & I. COR. XVI. 2. exi-  
stant.*

XXXIII. In eadem sententia fuit Flacius Illyricus, qui modo  
indicata scripturæ dicta hanc in rem citat in Clave, verbo *Dies*; ita  
vero ibi: *Dies prima, quâ Deus mundum condere cæpit, est dies  
Solis, qua etiam resurrexit. Fit prima diei, tanquam Christia-  
no ritu solennis, & in N. T. mentio: unde apparet MOX INITIO ju-  
daicum sabbatum esse mutatum à Christianis in Dominicum.  
Nam Paulus priori ad Corinthios XVI dicit, Se ordinasse in Ec-  
clesiis Galatiæ & Achaia, ut in prima die Sabbati eleemosynas  
conferrent. Sic Act. XX: Primo autem die hebdomadae (secun-  
dum vulgatam unâ Sabbati) coactis discipulis ad frangendum pa-  
nem i. e. communicandum. Quia vero, quæ hic leguntur, non ha-  
bent vim præcepti, sed unius Sabbatorum sanctificationem Paulus  
exemplo suo posteritati saltem commendavit, prudenter B. Calixtus  
vestigia esse dixit. Guilielmo Estio res magis & liquida & certa. Ita  
enim ille Annotationibus in ista, scribit: *Ab Apostolis Sabba-  
tum in diem Dominicum mutatum est, ut patet illo Actor. XX.  
Una Sabbati ( nempe primâ die post Sabbatum ) quum conve-  
nissent**



nissent ad frangendum panem, scilicet sacrum, & similis locus de collectis fidelium eo die fieri solitis, est I. Cor. ultimo.

**XXXIV.** Posteaquam igitur exhibito, & in carnem misso Messia, cum aliis divinis moralibus ceremonialibus legibus, etiam hæc de sanctificatione Sabbati expiravit & cessavit, Apostolica constitutione surrogatus in ejus locum est dies, gloriose resurrectionis Domini facer, duas orationes. Primò, quod non esset ex congruo & decore die Sabbati, qui memoriam mortis Christi renovabat, festum agere in lætitia. Deinde, ipsa beneficii dignitas, atq; in resurrectione triumpho, celebrationem flagitabant. *Quia in die passionis, ait Alphonsus Tostatus, magnum planctum Christi nostri morientis memoramus, in die autem Resurrectionis, lætitiæ Christi resurgentis, & totius populi fidelis facimus, decuit potius diem resurrectionis esse sub continua observatione quàm diem passionis: quoniam jam priora transierunt, & sicut ait Apostolus, Christus resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ad referendam ergo tantam lætitiæ, quantam nunc tenet Redemptor noster, ei recolimus Dominicam Resurrectionis, quia gaudium suum consummatum ibi incipit &c.* In diebus igitur passionis & mortis, atque adeò toto illo tempore, quo in sepulchro fuit Servator noster, maluerunt dolorem è planctu Christi morientis natum externo quodam indicio testari, quàm hilaritatem quandam præferentia munia, qualia diei Dominico conveniunt, obire. Quapropter Christianæ pietati congruum visum ipso Sabbati die, quo propter nos & peccata nostra acerbissimos mortis dolores sustinuit Servator noster, ei compati, & tanquam passionum ejus sociis, luctus & humilitatis testimonia, quale jejunium est, edere. Nullus autem dies alius magis celebrari dignus videbatur, quàm ipse ille quo Redemptor Mundi è mortuis gloriose resurgens fidelium plausu & gratulatione excipitur.

**XXXV.** Deinde quod attinet ad legem de abstinendo à sanguine & suffocatis, sciendum, hanc tempori & statui Ecclesiæ Christianæ tum fuisse accommodatam. Accedebant ad Christianismum & ex Judæis & ex Gentilibus. Cum vero illis lege Mosaica interdictum esset omne suffocatum & sanguis, & talium comestione scandali zarentur, hinc



hinc propter infirmitatem converforum Judæorum Christiani omnes ad tempus à sanguine & suffocato abstinere jussi sunt; postquam verò nullum exinde scandalum amplius erat metuendum, talis quoque institutio sponte sua cessavit. Ex quibus cognoscere licet, Ecclesiam nihil mutasse in iis, quæ scripta sunt, sed leges istas positivas divinas, exhibito Messia, una cum Republica, cui erant propriæ, expirasse.

*XXXVI.* Aliquanto cautius mercari sibi videtur *Gregorius de Valentia* l. 8. de analysi fidei cathol. c. 5, quando authoritatem Ecclesie majorem scriptura esse ait, *extensivè*, *intensivè* autem neutram alterâ majorem, sed potius, si ad utriusque authoritatis quendam modum respiciamus, majoris alicujus dignitatis esse authoritatem Scripturæ, eamque merito tanquam divinius aliquid suscipi. Quam ultimam assertionem, quod Scripturæ authoritas major sit, quam authoritas Ecclesie, ei veritatem expressisse, prius vero, quod non simpliciter, sed certo modo id affirmet, quodque alias parem utramque esse authoritatem, & illam Ecclesie etiam latius extensam asserit, à studio partium fluxisse, pluribus demonstravit *B. D. Hornejus* tract. Theol. disp. 1. de Author. Scripturæ quæst. 1.

*XXXVII.* Proximum nunc est, ut inquiramus, unde nobis hæc Scripturæ authoritas innotescat? Ubi cum duplex sit nostra notitia, altera probabilis & opinativa, altera certa & indubitata, sunt quoque duplicia signa & *argumenta*, unde Scripturæ authoritatis notitia ad nos derivatur. Alia vero eorum, argumenta suggerunt inducentia, quæ probabilem tantum Scripturæ authoritatem nobis faciunt, aliud est convincens, & quidem unicū tantum, à S. Spiritus operatione pendens. Inducentia sunt plurima, quorū usus tum maximè est, si Gentili vel pagano cuidam extra Ecclesie pomeria constituto Scripturæ authoritatē demonstrare velim. Et eorum alia ipsi Scripturæ sunt interna, alia externa; De externis prius agemus, postea quoque interna consideraturi.

*XXXVIII.* Inter externa primo occurrit *universæ Ecclesie consentiens restitio*, de qua notanda sunt verba Schröderi de principio Theologiae c. 1. quæst. 7. n. 15: *Nulla est religio, in qua non saltem vestigia aliqua seu fragmenta è libris Canonicis assumpta appareant. — Quo pacto sit, ut religiones quæcunque, dum singula è li-*



*bris Canonice aliquid decerpunt, omnes veluti inopinato quodam consensu conspirent in id, veram esse illam, qua in istis libris praescribitur, religionem.* Imò cum in Ecclesia Christiana, quæ Scripturæ auctoritatem agnoscit, semper extiterint, qui præ aliis & morum integritate & sapientiæ studio excelluerunt, illi vero in hoc semper unanimiter consenserint, quod Scriptura à Deo profecta sit, certè verisimile non est, tot & quidem tam nobiles populos in hoc errasse. Atque ista est externa & sensibilis Ecclesiæ Auctoritas, ab qua quamvis externis eminentiis, quæ pares semper non sunt, pendeat, suppeditat tamen argumentum, pro auctoritate Scripturæ probanda, inter reliqua inducentia & svadentia, efficacissimum. Imò usque adeo efficax, ut S. Augustinus libro contra Epistolam fundamenti cap. V. dixerit: *Ego non crederem Evangelio, nisi me Ecclesia Catholica auctoritas moveret.*

XXXIX. Alterum pro Scripturæ auctoritate argumentum nobis præbere potest ipsius *Antiquitas*. Constat enim hominem propterea creatum esse, ut Deum Creatorem agnoscat, & postquam cognovit ipsum secundum voluntatem ejus colat, adeoque hæc obligatio hominis erga Deum statim cum ipso homine nata est. Unde vero cultus Deo debitus hominì innotescet, si non ex patefactione & revelatione sui verbi? Hoc scilicet est unica Deum ritè colendi norma & regula, per quam solam divini cultus ratio innotescit. Ad præstandum autem Deo cultum, quum nullo non tempore homines fuerint obligati, principium cultus rationem cognoscendi, non potest homine esse posterius; extiterit igitur tam diu, necessum est, quam diu extierunt homines. Si verum igitur est, quod dixit alicubi Tertullianus, *Antiquissimum quodque esse verissimum*; Religio nostra Christiana, sicut omnium antiquissimâ nititur revelatione, ita quoque non poterit non omnium religionum esse verissima.

XL. Sequitur tertio *miraculorum celebritas*. Cum enim miracula sint & dicantur, quæ præter naturæ ordinem eveniunt, & quidem ut omnem creaturæ facultatem naturalem excedant, patet, miracula non posse nisi à solo Deo proficisci & fieri, juxta Psalm LXXII, 18, *Benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia solus*, Cui verò doctrinæ confirmandæ adhibitum fuit miraculum, & quidem verum, illa



illa necessario Deum habebit Auctorem. Dono igitur miraculorum instructos Patriarchas, Prophetas, & Apostolos ad obeunda munera ipsis divinitus demandata prodiisse, utriusque Testamenti Scriptura docet. Sic Exodi iv legimus, quod cum Moses à Deo ad populum mitteretur, ipsi simul facultatem miracula patrandi largitus sit, quibus se à Deo missum, suamque doctrinam à Deo profectam demonstraret. Eodem quoque modo legimus in N. Testamento, quod Christus & Apostoli doctrinam suam miraculis confirmarint, *ut non haberent judai, hostes Christi insensissimi, quod obloquerentur prater convicia.* Vid. Dn. D. Mulsæum tractu de Syncretismo & Scriptura S. Loco. 1, quæst. 1, num. 4..

XLII. Accedit quarto, *Martyrum* inter gravissimos cruciatibus, pro asserenda divina in Scriptura demonstrata veritate, *constantia*. Verisimile enim non est, doctrinæ, quam tot Martyres, viri tanta eruditione & sanctitate conspicui, suo etiam sanguine obfignarunt, subesse aliquid falsi. *Et hac Justinum, ut religioni Christiana nomen daret; commotum fuisse, asseverat Schröderus loc. cit. n. 11. Et Maxime Reverendi Domini Præsidis B. Parens, de Martyrii præstantia, uti alias semper ingeniosè, ita etiam hac de re introduct. in studium Theol. p. m. 115 scribit: Sanè præclarius est pietatis & Christiana charitatis argumentum, pro Christo spe promissa vitæ mortem oppetere, quàm adversarium disputatione constringere.* Idem etiam asserit Vir divini & humani juris peritus *Conradus Rittershusius Sacrarum lect. l. 6. c. 17. p. 458: Altius acta sunt per martyrium fidei nostræ fundamenta, quique ictus eo putabantur infigi, ut luxarent & revellerent, harentem ac fixum stipitem altius demittebant. Nulla in terram decidebat cruoris Martyris stilla, ex qua non centum Christiani viderentur surgere. Adeo erat efficax sanctus ille cruor, qui exemplo principis & Authoris sui pro ipso eodem libenter effundebatur. Jam ad permovendos sacros illos & ferreos homines quàm erat validum videre constantiam profitentium, ut durum duriore frangeretur, intueri robur humano majus, planè cæleste & divinitus adjutum.*

XLII. Quo pertinet quinto *felix per totum terrarum orbem propagatio.* Licet enim ab hominibus simplicibus & idiotis, qui nul-

lis



lis vel potentia vel sapientia praesidiis suffulti, haec doctrina proponeretur, tantum tamen incrementum habuit, ut a plurimis Gentibus crederetur, quo circa Apostolus non sine magna admiratione, inter mysteria explorata magna istud quoque 1. Tim: III, 16 refert, *quod Deus in carne manifestatus creditus est mundo.* Idem concelebrat Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. v: *Ipse mundus, quo mundus credit, si consideretur, incredibilior (nempe resurrectione mortuorum) invenitur, Ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, imopolitos, non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rethorica inflatos, piscatores cum retibus fidei ad mare hujus seculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos Philosophos cepit. Incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse; Incredibile est, homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse, & quidem talem doctrinam proponentes, quae nullis deliciarum hujus seculi illecebris invitaret, sed quam crux comitaretur & persecutio, quaeque ad severiorem vitae regulam, concupiscentiae carnis & mundanis cupiditatibus adversa, adstingeret.*

*XLIII.* Tandem huc referimus *Divinam* in verae religionis contemptores, & Christianorum persecutores *vindictam.* Etenim, *sequitur scelestos ultor a tergo Deus.* Gravissima igitur manu sequutus est multos eorum, qui doctrinam & fidem Christianam profectos crudeliter persecuti, impietatis suae etiam in hac vita poenam pependerunt. Exemplum est horrendum in Antiocho Epiphane, qui Tragica morte extinctus legitur 2 Maccab. 9. Idem testantur historiae de Juliano Apostata, qui in praelio contra Persas miserrime periit, nam telo infesto, quod unde missum esset, an a Persa aliquo, an a suo milite, an ab Angelo, an a malo genio, sciri non potuit, interfectus est, quem exitum canina excepit sepultura, nam sepultus est in suburbio Tarsensi, & deduxerunt ejus funus scurræ, empecta aliique nequissimi homines, qui saltantes tibiis cecinérunt. Corthym. Floril. Historico Sacro. Profano pag. 125. n. 1.

*XLIV.*



XLIV. Enumeratis præcipuis *κρίθεις* Scripturæ extrinsecis, ad interna progrediemur, ubi itidem ex pluribus quædam tantum hic adducemus. Et quidem primo sese nobis offert loco *rerum pariter & verborum Majestas*. Nempè sola Scriptura complectitur mysteria inde à seculis abscondita, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, proponit enim res, quæ simpliciter captum humanum, imo quemvis creatum excedunt, & quorum in mentem absque Scriptura & revelatione nemini unquam venisset, nempè mundum ex nihilo VI diebus fuisse conditum, hominem è terra factum, Deum esse Patrem, Filium & Spiritum S. Filium Dei incarnatum morte sua humanum genus redemisse, resurrexisse, ascendisse in cælos, rediturum ad judicium, mortuosque omnes redi vivos aternis vel præciis vel pœnis adfecturum. Iterum sunt verba B. D. Calixti è disp. de Verit. Religionis Christ. § 23.

XLV. Verborum autem Majestas inter alia in eo sita est, quod Scriptura loquatur ex autoritate simpliciter asserendo seclusis demonstrationibus & probationibus, utpote cui simpliciter fides habenda sit. Egregius est locus Dionysii Longini Ethnici Scriptoris lib. *περί ὕψους* sect. 7: *Sic & judæorum legislator vir non vulgaris, quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate notam fecit declaravitque statim initio præmii legum suarum scribens: Dixit Deus, inquit, quid? Fiat lux, & facta est; fiat terra & facta est.* Laconica igitur Mosis oratio, qualis divinæ legis promulgatorem quàm maximè decebat, desperatæ malitiæ Atheon aliquem induxit, ut non sit verecundatus de Mose dicere: *hic Auctor multa dicit, pauca probat.* Deinde ipsius etiam dictionis indoles aliquid divinum sapit. Hinc S. Augustinus l. 4. de doctrina Christ: c. 6: *Audeo dicere, omnes, qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Nam ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest.*

XLVI. Pergimus ad alterum, quod est, *Prædictionum veritas*. Prædictio enim futurorum, si è nullis quidem causis & principiis naturalibus colligatur, eventus tamen prædictioni ex asse respondeat, di-

D

vini



vini instinctus luculentum est argumentum. Proinde ipse Deus hanc notam discretivam ad discernendum Deum verum à Diis falsis, apud Jesaiam adhibet, quando Cap XLVI, 9. & 10. dicit: *Ego sum Deus & non est ultra Deus, nec est similis mei: annuncians ab exordio novissimum & ab initio, qua necdum facta sunt: consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet; & clarius cap. præced. XLI. 22. & 23: Accedant & nuncient nobis, quaecunque futura sunt, priora, qua fuerunt, nunciate: & ponemus cor nostrum & sciemus novissima eorum, & qua ventura sunt, indicate nobis Annunciate, qua venturasint in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Jam verò, quæ per os Prophetarum, in Scriptura S. futura prædicta sunt, eorum multa ita sunt comparata, ut captum humanum excedant, rationemque sibi relictam superent, siquidem iis qui foris sunt, non datum est nosse mysteria regni Dei Marc. IV. & Luc. IX. Neque enim talia caro & sanguis revelant, sed pater Jesu Christi, qui est in cælis Matth. XVI. 17. Quamvis igitur Scripturæ oracula magis sint abscondita & profunda, magisque à captu nostro atque vulgari rerum ordine, cui advevimus, abluant, quàm ut eorum quicquam mortalium ulli in mentem venire potuerit, ea tamen omnia suo quæque tempore illustri eventu sunt adimpleta.

XLVII. Exempla ejusmodi Scripturam evolventi occurrunt plurima: insigne est Es: XLV. de Cyro Babylonicam captivitatem soluturo, ubi Megalander noster Lutherus in margine addit: *Das ist nach 200 Jahren erfüllet.* Videri etiam potest prædictio de servitute Ægyptiaca Gen. XV. 13 quæ 400 annis ante facta est. Aliæ sunt de regno Judæ usque ad adventum Messiae duraturo. Inter omnes alias eminent, quæ de Messia ipso, de nativitate loco & tempore, de ejus doctrina, passione & exaltatione olim sunt prædicta, & ipso exhibito, jam dudum adimpleta. Hoc est *mysterium à temporibus aternis tacitum; nunc vero factum est manifestum, & per Scripturas Propheticas, ex imperio aterni Dei ad obedientiam fidei, omnibus Gentibus declaratum.* Rom. ult. 25. Tacitum autem dicitur mysterium salutis humanæ per Christum, non quidem quod non sit revelatum, sed quod paucis, *Scripturas nempe Propheticas* intelligentibus fuerit cognitum. Hinc



Hinc Augustinus lib. xii. de C. D. c. 9: *Scriptura fides mirabilem auctoritatem non immerito habet in orbe terrarum, atque in omnibus Gentibus, quas sibi credituras inter cætera quæ dixit vera divinitate prædixit.*

XLVIII, Tertio loco numeramus *doctrinæ sanctitatem*, quæ maxime in eo consistit, quod nihil à divina Majestate alienum, nihil quod falsum, absurdum, turpe aut Deo indignum sit, vel doceat, vel fieri jubeat. At talia tradiderunt & præceperunt revelationes, quas gentilis superstitio divinas esse credidit, atque his innixi cultus cum veterum tum recentiorum, cum Græcorum & Romanorum, tum barbarorum. Ipsæ igitur Gentilium de multitudine, nativitate, stupris, adulteriis & cædibus Deorum fabulæ, ipsa cultus per cædes & ἀνθρώπων θυσιάς ratio, & quæ hanc comitantur inconvenientia plura, & religionem ipsam, & quibus illa nititur revelationes, falsitatis luculenter convincunt. Deinde sunt in Scriptura patefactæ revelationes tales, per quas homines ad vitam & mores in melius mutandum invitantur, quæ à vitiis sub comminatione pœnæ æternæ absterreant, quæ virtuti studere, alienos à truculentia, comes & in benignitatem, facta spe vitæ æternæ, pronos esse jubeant. Ex adverso aliæ religiones iniquitatis mysteria revelant, & falsa ad turpia quævis atque indecora ducentia dogmata, in precio habent. Theodoretus in lib. de legibus, qui est nonus ad Græcos, docet, *legibus Lycurgi & Platonis, quæ omnium lectissima fuerunt, detestanda flagitia partim permitti, partim præscribi & laudari, ut adulteria, uxorum communionem, Venerem nefandam, conceptuum extinctionem, infanticidia & similia.*

XLIX. Judaica & Muhammedana religiones quamvis cum Christiana in contentionem venire possint, quod hæc nullam Scripturæ partem Canonicam disertè rejiciat, illa repudiata quidem alterâ, eam tamen, quæ V. Testamenti est, amplectatur, Divinis nihilominus, quas retinent, revelationibus, fabularum cum Corani tum Talmudicarum ineptias assuunt. Quamvis igitur Judæorum synagoga veris ac divinis nitatur revelationibus, sunt tamen etiam illæ, postquam exhibitus est Messias, & illuxit novi fœderis dilucidior magisque explicita revelatio, insufficientes. Neque enim Messiam venisse credunt, sinceritatem præterea religionis Talmudistarum somniis miserè adulterant.



Muhammedani licet Messiam, quem venisse negant Judæi, exhibitum credant, licet sufficiente utriusq; Testamenti revelatione gaudeant, non tamen hanc in precio, nec eo habent loco, quo habere debebant, sed ei tanquam imperfectæ absurdum suum jungunt Coranum; illi, tanquam ad reconciliationem cum Deo faciendam insufficienti, flagitiosum & sanguinarium Muhammede, cum titulo Prophetæ ut ultimi, ita summi, associant. Interim à Christo non ita abhorrent quemadmodū Judæi; quippe qui hos in suæ superstitionis societatem, nisi prius Christianos factos, non recipiunt. Accedat S. Augustini de Christianorum vitæ integritate & sanctimonix studio testimonium. *Nihil, ait ille, in Christianis Ecclesiis flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei præcepta aut insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

L. Atque hæc etiam potiora sunt scripturæ S. intrinseca  $\chi\rho\iota\sigma\tau\iota\alpha$ , per quæ ejusdem divina, (quæ *interna* aliàs dicitur) auctoritas innotescit. Ista tamen omnia nondum gignunt fidem certam & indubitam, sed saltem probabilem & opinativam. E talibus vero principiis deducta argumenta, ut non sunt omni exceptione majora, ita etiam non omnem formidinem oppositi excludunt, minimum tamen efficere apta, ut homo v. g. paganus ad Scripturæ æstimationem, comiter adducatur, quo posthac in precio aliquo eam habeat, ac lectione & consideratione minimè superficialia dignam judicet. *Sunt quidem illa suasoria, sed non per suasoria, & inducere possunt ad credendum probabiliter, solus autem Deus per Scripturam ipsam fidem Divinam conciliat & inducit certitudinem,* scribit de istis  $\chi\rho\iota\sigma\tau\iota\alpha$  D. Johann Bened. Carpzov. system Theol. Disp. 1 de Scriptura S. Aphor. 7. §. 5. Quod etsi de singulis ostendere in promptu nobis foret, impræsentiarum tamen brevitatis studentes ad alia pedem proferimus.

LI. Nempe aliud altius principium &  $\theta\epsilon\acute{o}\varsigma$  esse oportet, quod illam fidei  $\omega\lambda\eta\rho\phi\omicron\rho\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$  tum accendit, tum sustinet & fovet. Hoc autem nec est nec esse potest aliud, quàm efficacia peculiaris, quam Spiritus S. per verbum ipsum tanquam organon suum, sive lectum, sive auditum, sive ruminatum animis hominum latenter instillat, in cujus

virtu-



virtute firmum & immotum assensum præbere, & hoc, quod in Scripturâ proponitur, esse verbum Dei fide divina credere valeant. Interna igitur ista S. Scripturæ insita eiꝰ propria S. Spiritus efficacia præstat, ut sit illa non tantum fidei objectorum cognoscendi, sed etiam effectivum ejus principium. *Necesse est, ut quadam altior ipsi (Scripturæ) virtus conveniat, qua elevata de semetipsa, quod à Deo profecta vereqꝰ Divina sit, testificari in animis hominum possit. Illa vero in alio constitui non potest, quam in Dei concursu supernaturali, quo elevata interius hominum corda tangat, pulset, efficiatqꝰ, ut voluntas in consensum tracta intellectum ad assensum firmum immotumqꝰ præbendum suo imperio determinet,* docet Celeb. D. Johannes Musæus in tod. in Theol. c. r. Aphor. 10.

LII. Illustrare licebit hoc quodam simili: Sicut nimirum ad id, ut aliquis à fornace calefiat, duo requiruntur, (1) ut ad eum accedat (1) ut principium aliquod virtute calefaciendi pollens in fornace existat. Eodem modo sese res habet cum homine ad Scripturæ auctoritatem agnoscendam adducendo. *Primò* inducentibus illis argumentis tum externis tum internis à §. xxxix ad §. xliix positis induci debet, ut ad Scripturam accedat, eamque lectione dignam æstimet, ac aliquo tantum in precio habere incipiat. *Deinde* si ad lectionem accesserit, eamque non superficialitè legerit, eo ipso interna illa Scripturæ vis, quam aliàs divinam gratiam, S. Spiritus opem, virtutem, *ἐπιπέρας* & testimonium, aut etiam supernaturale lumen appellamus, sese exferet, atque animum convincet, ut non possit non credere, esse eam verbum Dei. Quippe quemadmodum cæteris fidei Christianæ capitibus & mysteriis assentimur, fidemque illis perhibemus firmam, quæ omnem excludat dubitationem propter divinam Scripturæ talia tradentis auctoritatem, ita ipsi Scripturæ credimus propter se ipsam, ab Auctore suo sibi insitam virtutem, & efficaciam, quæ potens est auditorum lectorumve animos ita sibi devincere, ut operetur & efficiat in illis fidem planè divinam: Et sane ipsa revalorum mysteriorum natura Divinum postulabat testimonium. *Ita* enim quum Deus in suo verbo inevidenter nobis

D 3

loqua-



loquatur, i. e. mysteria loquatur, quæ sint inevidentia, omnemque rationem humanam sibi relictam superent, necesse erat, eorum quos alloquitur animos ad intimiora penetrante vi subire, atque ita percellere, afficere sibi que devincire, ut intelligat, ipsum Deum secum per verbum loqui adeoque ob auctoritatem loquentis, assertionibus fidem habeat, quam nullæ aliæ rationes conciliare & efficere poterant, quum asseratur aliquid, quod & inevidens esset, & rationem superaret, & cum principiis naturaliter notis pugnare videretur.

LIII. Quod ipsum & manifesta Scripturæ dicta & veteris Ecclesiæ Doctorum testimonia nobiscum affirmant. Quando enim Thessalonicenses *acceptum ab Apostolis verbum Dei exceperunt non sicut verbum hominum, sed (ut erat verè) sicut verbum Dei* addit Apostolus ὅς ἔστι ἐπεργαζομένη ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν, qui etiam agit, interna sua ἐπεργαζομένη operatur, in vobis, qui creditis, 1. Thess: 11, 13. Inde etiam fuit, quod ministri Sacerdotum & Scribarum Dominis suis renunciarent, *nunquam hominem locutum esse, sicut hominem istum* Joh: VII. 14. nam percellerantur super doctrina ipsius, docebat enim eos, ut habens auctoritatem, ait Evangelista Matthæus c. VII. 28. Quapropter etiam dicitur ἀπὸ θεοῦ πνεύματι & ἔργῳ δουλεύουσιν, 1. Cor: II. 4, quæ *persuasoris humana sapientia verbis* opponitur, cum sola Scripturarum lectione quidam ex Gentilismo & Judaismo ad Religionem Christianam amplectendam permoti fuerint, quorum aliquot exempla collecta proponit longè doctissimus D. Calixtus disp: de Author. Scripturæ Sacræ p. 1. §. 30. seqq.

LIV. E primæ Ecclesiæ Doctoribus, duos solummodò, brevitatibus studiosi, hic adducemus, alterum Origenem, qui lib. 4. περὶ ἀρχῶν c. 1. *si quis cum omni studio & reverentia, qua dignum est, Prophetica dicta consideret, eo ipso dum legit & diligentius inuenitur, certum est, quod aliquo diviniore spiramine mentem sensumque pulsatus, agnoscet non humanitus esse prolatos eos, quos legit, sed Dei esse sermones; & ex semetipso sentiet, non humana arte nec mortali eloquio, sed divino, ut dixerim, cothurno libros esse conscriptos.* Alterum Chrysostrum homiliâ in Natalem

Domini



Dominis. Praeconium verbi universum orbem, ubi quidem homines habitant, paucis annis occupavit, etiamsi tabernuculorum opifices, piscatores, literarum ignari & idiota ubique gentium illud divulgant. Nihil autem detrimenti vilitas ministrorum attulit, quum praedicationi verbi vis omnia praecupet, & impedimenta amoveat & proprias vires demonstret.

LV. Eandem de ἐπερεια illa in Scriptura latente sententiam nonnullis, nec iis ignobilibus Pontificiarum partium Doctoribus, vis veritatis expressit, adeo ut Cardinalis Hofius, qui Tridentino Concilio superiori seculo habito praefuit, Confessione fidei scripta synodi Petricovienensis nomine c. 16 scribere coactus fuerit: *Nos libenter concedimus, accipienda esse Evangelia, ut verba Dei intus docentis & revelantis, neque credendum illis esse, nisi propter Dei vocem intus loquentis.* Alius itidem Cardinalis, Toletus in cap. V Johannis annotat: *Habet quidem fides probationes pro his, qui nondum credunt, tamen neque haec necessaria sunt, sicut demonstrationes scientiarum, nec qui credunt, propter eas credunt, sed propter lumen fidei à Deo infusum intellectum inclinante ad assensum.* Accedat tertius Cardinalis Robertus Bellarminus lib. VI. de gratia & libero arbitrio c. 3: *Argumenta, quae articulos fidei nostra credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omnino indubitatam reddant, nisi mens divinitus adjuvetur.* Quibus subjungimus alium Scriptorem ex defensione Concilii Tridentini, cui interfuerat, apud suos sic factis celebrem Jacobum Andradium, qui lib. 3. dictae Responsionis, *Nostri, inquit, Theologi minimè quidem arbitrantur, id solum inesse Scripturae S. momenti, quod illi Ecclesiae suffragiis conceditur, sed totum illius pondus Dei ipsius auctoritati gravissima adscribunt.* — Quum item mysteria sacris voluminibus comprehensa humanae mentis vires mirum in modum excedant, oportere ajunt quod postquam ab Ecclesia quis didicit, Evangelium Matthaei sacrum esse, interna Spiritus S. impulsione animus permoveatur, ut fidem Matthaei verbis adjungat. — Unde est, ut non modo omne Scripturae S. pondus & auctoritatem, sed etiam ipsam  
cre-



*credendi actionem cœlesti muneri & affectui adscribant: Ecclesia vero sacra tantummodo scripta pura & incorrupta conservandi, atque omnium mortalium generi illa proponendi munus attribuant.*

LVI. Atque ita quidem sese habet auctoritas Scripturæ S. & ad eum modum Divinam ejus originem ex interno S. Spiritus testimonio innotescere, ipsa à nobis adducta Scripturæ effata docent, quin etiam testimonia cum meliorum tum sequiorum seculorum, etiam Pontificiæ partis, Doctorum confirmant. Hæc ipsa vero interna vis, quum a deo arctè cum Scriptura, ut ab ea nunquam absit, imò sine ea nunquam adsit, cohæreat, ipsique Verbo sit intrinseca, *interna* etiam, quam illa conciliat, dicitur auctoritas. Præter hanc est alia ejusdem auctoritas *externa*, quæ & *sensibilis* dici potest, quod circa ea, quæ in oculos & sensus incurrunt, & materiæ instar sunt, versatur. Huc spectat numerus in primis librorum Canonicorum, idioma & Scripturæ exterior structura. Hæc ipsa vero externa auctoritas sicut toto cœlo differt ab ea, quam diximus, interna auctoritate, ita etiam ab alio à priori diverso & hoc multo inferiore innotescit cognoscendi principio. Quærenti igitur, unde innotescat utriusque Testamenti libros, Veteris quidem Hebræo, & Novi Græco idiomate, ea, quæ hodie extat, verborum structurâ scriptos, non esse alios quàm hos ipsos, qui sub præclaris Mosis, Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum nominibus circumferuntur, quosq; Ecclesia pro divinitus inspiratis habet? Ad hunc, inquam, modum quærenti respondendum fuerit, non innotescere aliunde, nisi eorum testimonio, quibus rem & certo cognitam, & magnæ curæ fuisse in confessio est. Et huc quidem referimus testimonium Ecclesiæ primitivæ præsertim, quæ fuit illis temporibus, quibus Canonici Scriptores in carne vixerunt propria. Et quidem, quantum libros V. Testamenti attinet, adhibendum est testimonium Judæorum sive synagogæ, à qua Ecclesia Canonem V. Tti traditum accepit. *Judeis enim eloquia Dei fuerunt concredita* juxta c. III. 2. Ep. ad Rom: unde etiam rectissime *librarii Christianorum* ab Augustino nominantur. De libris verò Novi Tti solius Ecclesiæ, maximè autem primitivæ testimonium obtinebit, quippe quæ ab ipsis *ἑορτυεύουσιν* Scripto-



Scriptoribus libros istos cum divinæ inspirationis testimonio accepit,  
& ad posteros propagavit.

LVII. Ubi verò probè observandum, Ecclesiam non perhibere S. Scripturæ aliud testimonium, nisi quod facti sit & historicum. Divina vero Scripturæ interna auctoritas, sicut à testimonio humano non pendet, ita Ecclesia conferre eam non potest, sed eam à solo Deo habet. Et hic iterum gravissimè errant Pontificii, dum Scripturæ auctoritatem ab auctoritate Ecclesiæ i. e. Pontificis suspendere fatagunt. Atque hæc ipsa est primaria inter eas, quæ nobis cum illis circa S. Scripturam intercedunt, controversias. Quamvis verò saxum hoc, conatu licet irrito, volvant Doctores Pontificii ad unum omnes, è multis tamen paucos saltem, paradoxo huius assertores, adducere placet.

LIIIX. Cardinalis Hosius l. 3. adversus prolegomena Brentii scribit: *Nisi nos Ecclesia doceret auctoritas hanc scripturam esse Canonicam, per exiguum pondus apud nos haberet.* Imo ut loquitur Sixtus Senensis Bibliothecæ suæ lib. IIX hæresi 12, *nec quicquam librorum, qui in Canone ponuntur, fidei derogatur, etiamsi ab authore profano scripti sint, cum libri fides non ab Authore, sed ab auctoritate Catholica Ecclesia pendeat, & quod illa acceperit, verum & indubitatum esse oportet, à quocunque dictum sit authore.* Atque sic Ecclesiam supra Scripturam evehentes, majorem illius faciunt, quam hujus auctoritatem. Sed & priorem Ecclesiæ quam Scripturæ auctoritatem esse volunt. Huc scilicet collimant, quæ apud Durandum dist. 24 q. 1, leguntur. *Cum autem, inquit, talia complexa (objecta fidei) sint plura, puto tamen, quod inter ea est aliquod primò creditum, quod est ratio credendi alia, & ad quod sit ultima resolutio credibilium; hoc autem est credere Ecclesiam regi à Spiritu Sancto.* Quod patet sic: *Credimus Deum esse trinum & unum, Filium incarnatum, passum & huiusmodi, quia Scriptura hoc dicit, quam credimus à Deo inspiratam & revelatam.* Ergo credere Scripturam esse à Deo inspiratam est ratio credendi illa, quæ in Scriptura creduntur & sic est per prius creditum. Rursum, credimus Scripturam esse à Deo inspiratam, quia Ecclesia, quæ

E

regi-



regitur à Spiritu S. hoc approbat: quum enim multi scripserint gesta Servatoris, ut Nicodemus & Nazarai, illa sola Scriptura recipitur ut Canonica, & ei soli fides adhibetur, quam Ecclesia approbavit. Unde Augustinus: Non crederem Evangelio, nisi crederem Ecclesia approbanti. Et iterum: Evangelium Nazareorum non admitto, quia Ecclesia non admittit. Ergo credere, quod Ecclesia non erret tanquam à Spiritu S. directa, est ratio seu medium credendi, Scripturam, quam approbat, esse à Deo inspiratam: Et iterum hoc credere est ratio credendi illa, quae in Scriptura traduntur, ut prius est dictum. Ergo de primo ad ultimum, primum inter credibilia, quod est ratio credendi alia, & ad quod fit ultima resolutio credibilium, est credere Ecclesiam regere à Spiritu Sancto. Hæc illi.

LIX. Sed admodum falsa est horum sententia, licet enim per auctoritatem & attestationem Ecclesiae homo induci & commoveri possit, ut credat Scripturis de quarum veritate testimonium perhibet Ecclesia, non tamen gignit hujus auctoritas fidem certam & divinam, quali Scripturae assentimur. Quod e. g. Epistola ad Romanos sit Pauli, credimus propter testimonium Ecclesiae hodiernae, quae à primitiva veluti de manu in manum traditam eam accepit. Divinam autem eandem habere originem, h. e. ab ipso Deo esse inspiratam, non tantum propter Ecclesiae testimonium, sed primario & principaliter propter insitam ei Divinam, fidem operantem virtutem credimus. Auctoritas autem Ecclesiae certo respectu quum sit & prior & posterior auctoritate Scripturae, observandum, auctoritatem Ecclesiae esse duplicem, *internam* alteram, alteram *externam*.

LX. *Externam* (quae & *sensibilis* dicitur) nuncupamus, propter prerogativas quasdam & externas eminentias, quae non semper sunt pares, imo à primis Ecclesiae incunabulis nullae fuerunt, hodie autem, postquam ea in multitudinem amplissimam, nobilissimamque totius humani generis florem complexam congregationem cultissimorum populorum excrevit, satis sunt conspicuae. Defectum interim illustris istius externae majestatis, Apostolorum ætate, dona miraculorum abunde supplebant. Illa tamen ipsa auctoritas, quum non nisi humana sit,  
nec



nec fidem gignat aliam, quàm humanam, magis ad svadendum & idun-  
cendum est apta, quàm ad convincendum. Neque est eadem externa  
Ecclesiæ eminentia ita comparata, ut in singulorum, etiam rudiorum,  
oculos sensusq; incurrat, sed publici cùm civilis tum Ecclesiastici sta-  
tus periti, tantum æstimare eam valent. Non igitur ad quorumvis,  
sed horum potius quàm illorum assensum eliciendum, potens est &  
efficax.

LXI. Internam vocamus quæ Ecclesiæ competit per peculia-  
rem gratiam, directionem & assistentiam Principis sui capitisque Chri-  
sti & Spiritus S. per quam fit, ut universa in rebus ad salutem necessari-  
is errare nequeat. Et hoc est illud infallibilitatis privilegium, Ecclesiæ  
universæ divinitus collatū, fundatumque in amplissimis & superemi-  
nentibus promissionibus, quod *adversus Ecclesiam non sinit præ-  
valitura porta inferorum*, Matth: xvi, 18. quum Christus  
ipse *omnibus diebus usq; ad consummationem seculi ei sit adfuturus*  
Matth: ult. 27. ult: quod sit *columna & firmamentum veritatis*,  
1 Timoth, iii. 15. E quibus sponte effluit, Ecclesiam, adversus quam  
non sunt prævalitura *porta inferorum*, i. e. quam persecutiones & hæ-  
reses non sunt superatura nec perfundatura, cui ipse Christus omni-  
bus diebus usque ad consummationem seculi *Spiritu veritatis, qui  
à Patre procedit*, Joh. xv. 16. est adfuturus. quæ *columna est & firma-  
mentum veritatis*, circa fundamentalem veritatem non posse errare.  
Sed de Ecclesia universali ista omnia affirmat S. Scriptura; Ergo eti-  
am de eadem Ecclesia affirmat quod circa veritatem fundamentalem  
non possit errare. Cum itaque ista Ecclesiæ, prædictis promissioni-  
bus innixa infallibilitas, & inde fluens autoritas, per Scripturam in-  
notescat, apparet, infidelem, qui Scripturam non agnoscat, vel admit-  
tat, sed eam repudians nulla dignetur lectione, hac ipsa Ecclesiæ au-  
thoritate ad scripturam, vel huic nixam Christianam religionem am-  
plectendam, commoveri non posse.

LXII. Hoc ipsum Franciscum Svarez coëgit reprehendere il-  
los, qui docent, *quod fides nostra resolvatur in auctoritatem Ec-  
clesiæ, nam si id intelligant, inquit, de illa auctoritate, ut huma-  
na est, (quam nos externam nominavimus) omninò fal-  
sum dicunt — quia illa non est fundamentum fidei. Si vero lo-*



quuntur de auctoritate Ecclesie, ut regitur à Spiritu S. (quæ interna nobis dicta) sic non sufficit illam credere vel illi credere fide acquisita, sed necessarium est credere fide infusa, quæ resolvenda est in illud principium: quod Deus dixit & promisit adstantiam Spiritus S. suæ Ecclesie, & ita necesse est tandem recurrere ad doctrinam traditam, i. e. Scripturam.

IXIII. Sunt inter Pontificios qui è notissimis Augustini verbis, *Ego non crederem Evangelio, nisi me Ecclesia Catholica auctoritas commoveret*, elicere conantur, statuere eum, quod auctoritas Ecclesie prior potiorque sit auctoritate Scripturæ: Unde porro inferunt, esse eandem primum credendorum principium, ad quod in omni discursu Theologico ultima fiat resolutio. Sed malo, quod magno, quantumvis irritato conatu, Scripturæ struant illi, mederi licet adhibita distinctione inter *Externam & Internam* Ecclesie auctoritatem. Etenim in ordine ad cognitionem humanam, Ecclesie auctoritas externa prior est notitiæ Scripturæ, quia illa prius quam hæc in hominis cognitionem incurrit: prior etiam est ipsius Ecclesie auctoritate interna, quia & hæc non aliunde, quam à Scriptura S. innotescit. Quandoquidem igitur Ecclesie auctoritas alio atque alio respectu & prior & posterior est auctoritate Scripturæ, ad externam Ecclesie auctoritatem respexit S. Augustinus, quando hujus auctoritate inductum sese Evangelio credidisse affirmavit. Ecclesie, inquam, non quidem primæ, quæ Apostolorum, sed quæ suæ ætate claruit. Hujus scilicet sibi, quum adhuc Manichæus esset, præsentis atque oculis obversantis externæ auctoritas ad credendum Evangelio eum movit & induxit. Eleganter Augustini mentem & verbo declarat Joh. Gerson, Tractatu *Quæ veritates sint de necessitate salutis credenda*, Paragr. secundus gradus &c. *Est Ecclesie*, ait ibi, *auctoritas tanta, ut dixerit Augustinus, Evangelio non crederem, nisi auctoritas Ecclesie compelleret; Quamquam vicissim dici possit: Ecclesia non crederem, si non auctoritas S. Scripturæ impelleret. Et ita diversis respectibus auctoritas utraque se conformat.* Diversi autem isti respectus efficiant, ut in Evangelicæ veritatis agnoscendæ negotio aliquis auctoritati Ecclesie concedatur locus, qualis nempe vel testimonium perhibenti, vel

occa-



occasionem præbenti, vel svadenti debetar. Ipsi interim Scripturæ per concessionem istam nihil creatur præjudicii, siquidem huic, evincendi relinquitur virtus, à qua per se dependeat assensus. Unde manifestum fit, non aliter externam Ecclesiæ auctoritatem ab auctoritate Scripturæ differre, quam differunt inducens & evincens.

LXIV. Quia vero tunc quando inducenti testimonio succedit evincens, non amplius propter illius, sed hujus auctoritatem credo, in tali statu excluditur quidem inducens, non tamen ut occasio, quin ne quidem ut inducens, sed ut evincens, à quo assensus per se dependeat. Quando enim inducens & evincens inter se invicem comparantur, præ hujus efficaciam, quod ab inducente efficiebatur, evanescit quasi & nihil fit: quemadmodum rem hanc egregie *ὁ υῦν ἐν ἀγίοις* Calixtus noster disputationis de Auctoritate S. Script. §. xxix, ubi de muliere Samaritanâ, cujus indicio Christum agnoverant multi, agit, & perspicuo à Davo quodam accersito simili rem omnem illustrat. *Si in magna, scribit, & populosa urbe sapientem virum quærerem, & diu quæsitum Davus tandem demonstraret, commonstratum ego adirem & colloquerer: num eum sapientem virum esse, quia Davus dixisset, crederem, & non potius, quia ex ipso & sermonibus ipsius, qui vir esset, cognoscerem?*

LXV. Sunt tamen etiam inter Pontificios, qui à sodalibus suis, verborum Augustini tortoribus recedunt, & stimulante conscientiam dicunt, quod res est. Nempè Scripturis principaliter propter seipsas, non vero propter auctoritatem Ecclesiæ esse credendum. Ita Melchior Canus l. 2. loc. Theol. c. 8. hanc sententiam probat inquiring: *Eorum hic errorem dissimulare non possum, qui asserunt fidem nostram eò tanquã in ultimam credendi causã reducendam esse, ut credamus Ecclesiam esse veracem, cui prius, inquiunt, assentimur per fidem acquisitam quã infusam. Quod si verum esset, prima ratio formalis infusa fidei non esset veritas increata sed creata. Quare fides nostra non inniteretur tanquam suo fundamento divina veritati sed humana. Imo Cajetanus secunda secundæ quæst. 1. art. 1 expressè etiam refutat Durandum nobis supra citatum, quando scribit: *Facit habitus fidei in-**



*fusa hominem inherere Deo, ut testificanti, tanquam in ratione omnium credendorum juxta illud I. Ioh. V. qui credit in filium Dei, habet testimonium in se. Et si hac advertisset Durandus in 24. distinct. 3 sententiarum art. I non dixisset, quod prima ratio credendi alia, & ad quod sit ultima resolutio credibilium, est credere Ecclesiam regi à Spiritu Sancto. Nam distinguendo duos actus, scilicet assentire & proponere, & rursus propositionem simpliciter & quoad nos, apparet primo, quod Deus ipse est primo proponens simpliciter ea, quae sunt fidei, & ideo ad fidem spectant, quia ipse proposuit hac & non illa. Apparet secundo, quod quoad nos, quibus Deus per seipsum non proponit credenda, sicut proposuit Apostolis & Prophetis, sed per Ecclesiam suam, quod Ecclesiam regi à Spiritu S. est infallibilis regula ad proponendum credenda nobis. Apparet tertio, quod ratio, quare assentimus omnibus credibilibus, est, quia Deus dixit. Idem sentit Gregorius de Valentia 3. de Analyfi fidei c. 1. Becanus tract. de fide c. 1. q. 2. n. 9. & plures alii.*

LXVI. His ita deductis & substratis, adversariorum etiam dissentiu, saniori domesticorum Theologorum consensu reprobato, investigandum nobis erit, quænam inter omnes propositiones revelatas (de iis enim tantum sermo est) sit prima & notissima homini Christiano, quam quasi ante alias omnes admittat, nec aliunde probari postulet, sed ei ultimo & propter lemet ipsam credat & assentiatur? Hanc concipimus his verbis; *Quicquid Sacra Canonica Scriptura dicit & docet est infallibiliter verum.* Hac propositione nullam, in revelatarum quidem serie dari notioerem & priorem, est communis Theologorum traditio. Ast dubium moveri hinc possit & objici, quod hæc propositio aliunde probetur, atque adeo non sit omnium prima. Nempe probari ex hac, *Quicquid Deus revelat hoc est infallibiliter verum.* Unde infertur; Sacram Scripturam à Deo esse revelatam, atque ideo infallibiliter veram. Sed notanter diximus, investigare propositionem quæ omnium sit prima & notissima non quidem simpliciter, sed in ordine ac serie revelatarum propositionum, exclusis nempè



nempè naturaliter notis. Ista verò, quam notioem & priorem esse non negamus, ad seriem tamen revelatarum, quæ è peculiaris modi revelatione innotescant, propositionum referri nequit, siquidem naturâ & è terminis est nota.

LXVII. Revelatio igitur, aut potius ista propositio; *Quicquid Deus revelat est infallibiliter verum*, quum sit principium naturaliter notum, remotius est quam ut ex eo conclusiones deducat Theologus. Quemadmodum enim Philosophi non ex hoc generalissimo, *Quicquid recta ratio docet est verum*; sed è proximis principiis sua demonstrant, Physica è Physicis, Mathematica è Mathematicis; ita quoq; Theologi non ex hoc generalissimo & remotissimo; *Quicquid Deus revelat est verum*; sed ex alio proximioris sua demonstrant. Revelatio igitur quum sit principium remotius quam ut inde conclusiones Theologicae deducantur, ad S. Scripturam, quæ est quasi complexus quidam omnium à vero Deo profectarum revelationum, illa restringitur. Quum verò Scripturis comprehensæ revelationes, extra controversiam à Deo sint profectæ, extra controversiam quoque infallibilis erunt veritatis, atq; inde natum infallibile illud principium. *Quicquid S. Scriptura dicit & docet est infallibiliter verum.*

LXVIII. Cæterum re aliquantò accuratius expensâ, ne quidè in ordine & serie revalatarum propositionum, ista quæ toties est repetita, videtur esse prima, sed dabitur forte adhuc alia eâ prior notiorq; quæ sit instar præmissæ, è quâ ista demum, quam diximus, propositio Conclusionis instar deducatur. Omnis autem conclusio quum sit præmissis suis è quibus deducitur posterior, propositionem quoq; loco principii omnium primi venditam, quum illa sit conclusio, præmissis suis posteriorem esse oportet. Si est posterior præmissis, non est principium primum sed præmissæ è quibus deducitur principia erunt priora. Res in medium allato argumento erit evidens. Nempè probaturus Scripturæ infallibilitatem, non poterit non sic argumentari:

*Quicquid Deus dicit hoc est infallibiliter verum*

*Quicquid S. Scriptura dicit hoc Deus dicit, sive hoc divinitus est revelatum.*

*Ergò quicquid S. Scriptura dicit hoc est infallibiliter verum.*

Licet



**L**icet Syllogismi hujus Major propositio sit naturaliter nota, Minor tamē è revelatarum propositionum est serie, & quum sit præmissa, conclusione erit prior. Manifestum igitur non illam quam initio dedimus, esse primum conclusionum Theologicarum principium.

LXIX. Observavit & annotavit hoc ipsum piæ memoriæ D. Georgius Calixtus, Disputat. de S. Scripturâ Parte priorē quâ de ejus Auctoritate agitur Th. XLIX, his quæ integra recitamus verbis. *In discursu circa res credendas & lumine fidei ad alios sive informandos sive convincendos instituto primum principium complexum, ad quod resolvendo tandem devenitur, & ultra quod inter ea, qua creduntur, progredi non datur hoc ipsum est, QUICQUID SACRA CANONICA SCRIPTURA DICIT, DIVINITUS EST INSPIRATUM, ET INDUBITATO SIVE INFALLIBILITER VERUM.* Idem repetit Parte alterâ, quæ circa numerum librorum V. T, versatur Th. III. Nec aliter ante complures annos, quum Epitomen suam Theologicam Auditoribus dictaret, docuit. Ita enim pag. ejus 14. *Pontificii et si multa videantur statuere principia, oportet tamen eos, velint nolint, nobiscum fateri, principium, ad quod sistat ultima resolutio totius discursus Theologici, non esse aliud præter hoc unum: Quodcunque continet sacra Canonica Scriptura Deo revelante & inspirante scriptum, & infallibiliter verum est.*

LXX. His verò ipsis, & prioribus his simillimis verbis, non una sed duæ distinctæ proponuntur enunciationes: harum prior est. *Quicquid Canonica Scriptura dicit divinitus est inspiratum:* Altera hæc est: *Quicquid Canonica Scriptura dicit est infallibiliter verum.* Hæc verò posterior quum sese habeat ad modum Conclusionis prior ad modum præmissæ, in confesso est non hanc sed illam inter propositiones revelatas, de quibus quæstio est, omnium esse primam. Quod si igitur utraq; in unam coalescat propositionem, de prioritate controversia moveri amplius non poterit.

LXXI. Porrò verò, si hæc propositio; *Quicquid Canonica Scriptura dicit Divinitus est scriptum*, è serie est & ordine revelatarum propositionum & præter Scripturam nulla est Divina revelatio,



latio, totidem verbis, sive in terminis' ut loquuntur, exflare eam in Scripturâ oportet. Exprimatur autem, ubi dicitur πᾶσι γραφῆ θεο-  
πνεύς. Et huc faciunt loca II Sam. xxiii. 1; *Spiritus Domini lo-*  
*cutus est per me & sermo ejus per linguam meam.* Act. I, 16. O-  
*portet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per*  
*os David.* Item II. Petri I. 21; *Non voluntate humanâ allata est*  
*aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt*  
*sancti Dei homines.* Quibus ita substratis & revelatione deductis  
ultrò sequitur, infallibiliter esse verum, quicquid Scriptura sive ver-  
bum ad eum modum patefactum, dicit aut docet.

LXXII. Quantumvis verò Pontificiorum multi veritati huic  
nubem obducere conentur, est tamen illa magis illustris, quàm ut sic  
obnubilari patiatur, ne perrupta caligine, ad intimiora cordis, etiam  
adversæ partis Doctorum, penetret, & velint nolintue illi, in orthodo-  
xæ sententiæ consensum eos rapiat. Obtigit hoc ipsum *Alphonso à*  
*Castro Hispano* familiæ Franciscanæ, qui lib. 1 adversus hæreses cap. 2  
scribit: *sicut in aliis scientiis prima earum principia nullus, qui*  
*eas profitetur, negat, in negotio fidei pro unico & indubitato prin-*  
*cipio à quolibet, qui se pro Christiano gerit, haberi debet, Verum*  
*esse, quicquid in sacris codicibus continetur.* Cui conformia  
tradit *Alphonfus Tostatus* in cap. IV. Gen: p. 16: *Cum in om-*  
*ni veritate veritas divina sit certior & immutabilior, ergo om-*  
*nes aliæ debent regulari per illam, & in quantum conformantur*  
*illi, sunt vera, in quantum autem ab illa deviant, deviant à na-*  
*turâ veritatis.* Adjungemus his *Johannem Gersonem* dictum  
Christianissimum Regis Christianissimi Cancellarium, qui tractatu su-  
pra citato inquit: *Credulitas omnium traditorum in Scriptura S.*  
*innititur huic principio solum credito & naturaliter inevidenti,*  
*quod tota Scriptura à Deo revelata est.* Addit: *una est omni-*  
*um credibilium credendi ratio, scilicet, autoritas prima veri-*  
*tatis revelantis, qua nunc videtur in enigmate.*

LXXIII. Proinde etiam sola Scriptura hoc elogium meretur,  
quod sit *judex controversiarum.* Quamvis si prorsus strictè vocabu-

F

lorum



lorum propriam vim attendamus, norma vel lex potius fuerit, quam, judex. Quia tamen duo ista permutari inter se solent, tribui etiam Scripturæ potest judicis, appellatio. Unde Bernardus serm. 65. in Canticum: *Evangelium appellasti ad Evangelium ibis.* Et Basilius M. Epist. **XXC.** *Judicet inter nos scriptura Divinitus inspirata. Et apud quos inventa fuerint dogmata Divinis sermonibus congrua, iis omnibus adjudicetur veritas.* Atque huc collimare videtur Concilii Basileensis decretum: *Lex Divina, praxis Christi, Apostolica Ecclesia una cum Conciliis & Doctoribus fundantibus se veraciter in eadem, pro verissimo & indifferente judice in hac synodo admittantur.*

**LXXIV.** Immerito igitur Pontifici suo tantam prærogativam tribuunt Pontificii, quod ipse visibilis omnium controversiarum judex sit legitimus. Equidem Concilium Tridentinum hic nominat Ecclesiam, quando sess. IV decret. II de editione & usu sacrorum librorum statuit: *S. matris Ecclesia est judicare de vero sensu & interpretatione sanctarum Scripturarum.* Verum quid per Ecclesiam intelligant, nobis interpretatur Gretserus defens. Bellarmini tom. I lib. **III C. X;** *Per Ecclesiam, quando Ecclesiam dicimus omnium controversiarum fidei judicem, intelligimus Pontificem R. qui pro tempore præsens naviculam militantis Ecclesie moderatur & gubernat.* Quemadmodum etiam in Colloquio Ratisbonensi post longas Bavaricorum Theologorum tergiversationes semperque magis instante D. Ægidio Hunnio idem Gretserus tandem in hæc prorupit verba: *Judex generalis, legitimus, ordinarius omnium controversiarum, quæcunque possunt oriri in religionis negotio, est Pontifex Romanus, sive solus definiat aliquid, sive definiat cum Concilio generali. Iste semper est infallibilis, quando ex cathedra definit ut Pontifex nulli errori obnoxius.* Lucas Osiander Epit. Histor. Ecclesiast. centur. XVI. lib. IV c. LIX. sub initium.

**LXXV.** Hanc autem à Gretsero & sui similibus infinitis aliis adjudicatam Pontifici in decidendis fidei & religionis negociis judiciariam potestatem non aliunde, quam è divina habere poterit concessione. Hanc vero nec accepisse nec possidere evidenter tale evin-  
cit



cit argumentum : Si Deus Pontificem Romanum controversiarum fidei judicem esse voluisset, in sententiis ferendis ἀναμαρτητῶν præstitisset. At non præstitit : docente hoc irrefragabili experientia, & manifestissimo Pontificum Nicolai III & Johannis XXII contrariis definitionibus collisorum exemplo. Ergo ex peculiari divinâ voluntate & institutione Pontifex controversiarum judex non est.

LXXVI. Interim ne sine ratione delirare videantur, ad aliqua sese recipiunt Scripturæ dicta, quibus imaginarii judicis sui ruinosum tribunal superstruunt. Inter illa primarium obtinet locum, quod Christus post resurrectionem Petrum allocutus dixerit: *Petre pascere oves meas.* Joh. XXI, 16. 17. Quo ipso collatum ei dicunt primatum & dominatum super universam Ecclesiam cum infallibili fidei controversias decidendi autoritate. Verum quàm hic Petro neque feratur neque metatur, quàm nec reliqua Scripturæ dicta ab ipsis adduci solita probent id, quod probare debebant, videre licet cum in Concordiâ Evangelica Calixtinâ, tum apud B. D. Titium disp. de judice controversiarum §. 8. seqq : Nec tutius in verâ antiquitate invenire eos huic paradoxo præsidium fusius demonstrat jam laudatus Author Ostensione Summaria c. 2, ex quo adscribemus verba *Optati Milevitani* lib. VI contra Donatistas : *Vos Donatistæ dicitis, Licet iterare baptismum : nos dicimus, Non Licet. Inter Licet vestrum & non Licet nostrum natant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat : nemo nobis, omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices, si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. De foris ergo quærendus est judex, si paganus, non potest nosse Christiana secreta, si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium, de cælo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cælum, cum habeamus hic in Evangelio Testamentum. — Ergo voluntas ejus velut in Testamento sic in Evangelio inquiratur.* Nulla hic apud Optatum mentio Pontificis Romani, quem tamen si prima, quâ ille floruit, ætas controversiarum judicem constituisset, agnitus etiam ab hoc Episcopo fuisset, & habuisset ille in promptu, quem tam sollicitè quærebat judicem, ad quem natas



inter Catholicos & Donatistas lites remitteret, imò cui submitteret. Ast non ad Pontificem, sed Evangelium provocat. Hoc igitur, non illum, pro legitimo & competente agnovit iudice. Ad hoc Divinitus constitutum tribunal nobiscum, si sapiunt, sese convertant, & Vejovem Romanum adorare desinant.

LXXVII. Antequam tollam de tabulâ manum, unum satis quidem intricatum nodum proponere, & conari liceat utrum solvere valeam. Scripsit Præceptorum nostrorum præclare meritis Præceptor, Epitomes Theologicæ in doctrinâ de Justificatione pag. edit. in 8vo 175. *Causæ instrumentales non attingunt effectum per se, sed ad effectum producendum elevantur à causâ principali, ultra propriam suam & naturalem virtutem. Tales sunt è parte Dei, Verbum 1. Pet. 1, 23. & Sacramenta Ephes. V, 26. Tit. III, 5.* Istud omnibus sanioribus Philosophis probatum axioma infringere, & ad instrumenta naturalia restringere conatur non nemo, hac instantiâ; quod instrumenta duntaxat naturalia, non autem suâ essentiâ & substantiâ supernaturalia, eleventur ultra propriam suam & naturalem virtutem. Longè itaq; à vero aberrare Calixtum censet, quod elevationem ultra propriam & naturalem virtutem, transferat, ad Verbum Dei, Sacramenta & fidem. Sumit autem ibi Verbum Dei, non pro eo quod constat vocibus significantibus, & est instrumentum per quod intellectui repræsentantur objecta per verba significata; sed pro eo cum eo concurrat specialis gratia Spiritus Sancti, quæ nudum Verbum, aut orationem ex instituto significantem, ita elevat ut in considerantium animis fidem gignat & corda moveat. Posteriori verò hoc sensu, non amplius est nuda causa instrumentalis, sed connotat principalem. Verbum enim Dei, *ut Dei est*, non est nudum verbum, sed tale Verbum cui iuncta est gratia Spiritus Sancti intus operans. Tale autem Verbum ita elevatum non est nuda causa instrumentalis, sed ejusmodi potius causa instrumentalis, quæ Principali veluti sit vestita, i. e. causa instrumentalis à principali ad producendum supernaturalem effectum elevata.

LXXVIII. Quærenti igitur *quæ sit propriæ & naturalis & ordinaria virtus, Verbi Dei, ut Dei est, ultra quam illud oporteat elevari in conversione hominis?* respondeo Verbum Dei, *ut Dei est*  
non



non elevari ultra propriam virtutem, & sic non esse causam instrumentalem tantum, de qua isto loco quaeritur, sed simul principalem.

LXXIX. Imò ipse ille obrectator fatetur; *Verbo Dei, Sacramentis, fidei justificanti ipsum Deum, per supernaturalem gratiam aliquid indere* Quà assumptâ assertionem & concessione, tale in eum detorqueo argumentum. Cuicumq; instrumento per Divinam supernaturalem gratiam aliquid *inditur*, illud à causâ superiori sive principali ultra propriam & nativam virtutem elevatur. Sed Verbo Dei, Sacramentis & fidei justificanti, secundum illum, hoc ipsum obtingit. Ergo Verbum Dei, Sacramenta, fides justificans, secundum illum, à causa superiori seu principali ultra propriam & nativam virtutem elevantur, quod probandum erat.

LXXX. Ast porrò ille instat, hoc ipsum quod Deus indit iis quibus inditur *esse naturale*, fortassis dicere voluit fieri perpetuum. Sed respondemus iterum: Verbo, Dei, pro ut D. Calixtus illud sumit quando causam instrumentalem illud esse perhibet, hoc quod à Deo *inditur*, non esse naturale, sed Verbo, ultra nativam virtutem repræsentandi intellectui objecta significata, elevato, fieri demum naturale & perpetuum. Planè sicut homini ut homini eruditio non est naturalis, quamvis homini erudito sit naturalis. Item sicut incorruptibilitas corporum glorificandorum fit naturalis corporibus glorificatis; quæ ideò non desitura sunt esse corpora humana, sed desitura sunt esse corpora humana corruptibilia, atque sic plus futura quam erant prius. Sic quoq; quando instrumentis illis quæ diximus, à Deo sive causâ principali per supernaturalem gratiam, talis vis & virtus inditur, redditur vis illa, quæ est indita instrumentis, quibus inditur naturalis quidem, sed eo ipso desinunt esse nuda & simplicia instrumenta, & plus, sive amplius aliquid esse incipiunt quam nudæ causæ instrumentales; nempe talia sunt instrumenta quæ substernuntur influxui causæ principalis. Sicuti etiam corpora post resurrectionem glorificanda, non desinunt esse corpora per interna principia, ex se & suam naturam corruptibilia, sed ab extrinseco accedens & ab extraessentiali principio dependens incorruptibilitas, fit corporibus illis naturalis quidem, ast eo ipso incipiunt plus & amplius quid esse quam erant prius, quippe quæ substrata influxui causæ superioris & extraessentialis, sunt incorruptibilia. Sine omni igitur auctoritatis Scripturæ præiudicio, ita sicut diximus, ab influxu causæ principalis abstracta, causæ instrumen-



talis locò haberi potest. Atque tantum de S. Scripturæ auctoritate, principio conclusionum Theologicarum extra controversiã primario. Ulterius quidem ad Auctoritatem Antiquitatis Ecclesiasticæ lustrandam, progredi constitueram; verum quum sub manu præter intentionem creverit hæc dissertatio, alterum, huic subordinatum cognoscendi principium, proximè, Deo benignè adfistente, in considerationem vocare conabor. Tu interim Benevole Lector ignosces, si quid incomparabili S. Scripturæ Auctoritati, culpa detriverim ingenii.

F I N I S.

## Errata eminentiora sic corrigantur

- § 1 lin. 12 lege simulque.  
§ 3 lin. 13 lege iverunt  
§ 6. lin. 7 leg. Grotius. lin. 16 moratiores.  
§ 12 lin. 7 pro c. 2. 1. leg. c. 21.  
§ 14. lin. 17 pro add. manarunt. lin 18. omitt. manarunt,  
§ 22. lin. 9 pro par lege parem: lin. 12. pro erut, eru-  
§ 32. lin. 12 pro colebramus, celebramus.  
§ 33 lin. 1. pro fnit, fuit. pro Illyircus Illyricus.  
§ 38. lin. 13 pro ab quæ quamvis, quæ quamvis ab, lin. 16 pro affi-  
cax efficax.  
§ 39 lin. 11 lege exstiterunt.  
§ 40 lin. 6. pro maraculum miraculum. lin. ult: pro tractu, tractatu,  
§ 42. lin. ult pro adstingeret, adstringeret.  
§ 51. lin. ult. pro intod. introd ead. lin. pro c. r. c. 1.  
§ 52 lin. 3 pro (1) (2)  
§ 24. lin. 10 lege Domini. lin. 11. pro tabernuculorum tabernacu-  
lorum.  
§ 55. lin. 3 lege expressit. § 56. lin. 22. lege in confesso  
§ 60 lin. 9 pro idun lege indu-  
§ 63. lin 21 pro verbo verba. lin 22 lege credendæ  
§ 68. lin. 2 lege revelatarum.  
§ 69 lin. 6. lege resolvendo.



**P**agina Scripturæ tua dum decus asserit in-  
gens,  
Ingenii dotes asserit ipsa tuas. (clavæ?)  
Quis facta Herculeæ non novit fortia  
Non petiisse tamen dicitur ausa duos.  
Ast tibi victori cedit Judæus apella ;  
Et cum paganis improba fraus Arabum :  
Quodve hic vel Latium, vel Transylvania finxit,  
Prostratum telis corrui omne tuis.  
Maeste tuâ virtute, & prælia fortiter urge :  
Pugnanti Dominus præmia certa dabit !

Nobilissimo ac Per- Eximio DN.  
MASCHOU, Amico & victori suo  
ob egregiam virtutem & præstantem  
doctrinam sibi longè carissimo, de e-  
dito erudito hoc industriæ specimi-  
ne ex animo gratulatur

Henr. Wideburgius. Logic. Prof.  
Publ. Ordin.

---

**P**rincipiò fidei nostræ quò dogmata constet,  
Quæ via mortales ducat ad astra, doces.  
Sacra pari monstras studiò mysteria verbi  
Volvere te, Sophiam quò coluisse scio.

Paucissimis his Domino Auctori ob non vulgarem  
eruditionem & singularem industriam sibi dilectissi-  
mo gratulabatur.

Christophorus Tobias Wideburgius,  
Mathem. Prof. Publ. Ord.



**P** Laudite Pierides Musarum turba novena;  
Applausus magnos Julia chara cane.  
MASCHOUI publicitùs properat protrudere  
merces


Ingenii, vigiles quas peperere dies.  
Differit egregie celso de ponte cathedrae  
Quam nobis pariat pagina sacra fidem.  
Annuat his Studiis coeli terraeque Monarcha,  
Ac curet, meritis praemia digna ferat.  
Eja, age, sic pergas sectari dogmata diva:  
Post placidam requiem fama superstes erit.

Hisce Nobilissimo ac Praestantissimo Dno.  
MASCHOU, Consalino singulariter  
aestimando, publicè de Scripturae S. au-  
toritate disputanti, ex sincero animi  
affectu, felicissimos laborum succes-  
sus apprecantur

Excellentissimi Dni HENRICI WIDEBURGII  
Log. P. P. & O. Commentales.
















B.I.G.

Farbkarte #13



THEOLOGICA  
 DE  
 ORITATE  
 TURÆ  
 CRÆ  
 VAM  
 UENTE GRATIA  
 SIDE  
 RICO CALIXTO  
 jusdemq; Professore Publ. &  
 ltatis suæ totiusq; Academiæ  
 nsiliario Ecclesiastico  
 lphico  
 ore ac Patrono suo  
 rvantiæ cultu æternum  
 erando  
 cademia Julia T155  
 andam proponit  
 chov Ascaniensis.  
 Respondens  
 o Die Octobris.  
 DI SAXONUM,  
 ESSIUS M DC LXXXII.

